

1. Xpi Joseph de regis fruct. K.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuelle Matth. 1, 18, 23.  
De edulo p[er] 1 Joh. 11, 2.
3. De amara baptista Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De v[er]i. Baptista Mat. 3, 4. Mr. 1, 6
5. Cantus sup monte Mat. 5, 14.
6. De bedon[is] p[er] ara Eleemofynas. Mat. 6, 2.
7. Petrus amish. Vanitas. Mat. XV, 9.
8. De signis temp[or]um observandis Mat. 16, 1-4
9. De ang[el]o Petri & Karp[is]i Mat. 16, 13-19. Marc.
10. Tu es filius dei. Mat. 16, 16.
11. De claris verbis. Mat. 16, 19.
12. De antititate clav. solv. & lig. Mat. 16, 19
13. De didrachmis & x[rist]o solutus Mat. 17, 24 & 2
14. Sugg[er] de of[er]t[ur]is u[er]ina. Mat. 20, 1-16
15. Vul. x[rist]i congregandi volentes Mat. 23, 37.
16. Chichulul. De h[er]esico Euph[or]i Mat. 24, 14.
17. De otidagio x[rist]i. Mat. 24, 28
18. Ag[er] sanguinis Mat. 27, 3-11.
19. Tumba servatoris. Mat. 27, 60
20. De Ant. Judan de. Mat. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De cura mortu[or]um clar[us] sancti. Mr. 6, 13. Jer. V, 14 &
22. De incarnationis mysterio Luc. 1, 35
23. De Maria x[rist]i preservata.
24. De nocte Jesu. Luc. 2, 21
25. De identitate ab[er]t. p[er]cutio[rum] Luc. 7, 47, 48
26. ofob[er]cip[er]s Luc. 8, 13
27. x[rist]i curat Sabbarthica Luc. XV.
28. De chomona mysticis Luc. XVI, 9
29. De lude[is]. Luc. 16, 9
30. .... Luc. 16, 9.
31. De lacrimis x[rist]i. Luc. XIX, 41.
32. Ven[er]is gladius accutus Luc. 22, 38

80  
R

20

19

כ"ט הק"ה

# T V M B A M SERVATORIS

PRÆSIDE

IO. ANDREA SCHMIDIO

ABBATE MARIÆVALLENSI

S. S. Theol. D. ejusdemque & Antiqq. Sacr. P. P. O.

Ordinis sui Seniore

Domino Præceptore & Hospite

ad urnam devenerando

*eruditorum oculis*

ipso quietis die VII. April. MDCCIII.

exponet

THEOD. BOLMANN Hojenſis

A. & R.



HELMSTADII

TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD, TYPOGR.

Ms 2  
60.



PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
**ANDREÆ**  
GOTTLIEB  
a BERNSTORF

DOMINO IN BERNSTORF VEHDENDORF  
ET RELIQV.

*SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI*

**GEORGII GVILIELMI**  
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCIS  
PRIMO STATVS MINISTRO

&c. &c.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO  
ETIAM

*VIRO*  
*SVMMÆ REVERENDO ATQVE AMPLISSIMO*  
DOMINO

**FRANCISCO EICHFELDT**  
THEOLOGO DE ECCLESIA OPTIME MERITO  
SERENISSIMI BRVNSVI. ET LVNEB. DVCIS  
CONSILIARIO ECCLESIASTICO

*ATQVE*  
SVPERINTENDENTI SVPREMO  
PATRONO SVO AEVITERNVM SVSPICIENDO

VT

VI ET  
VIRO  
MAXIME REVERENDO ET AMPLISSIMO  
DOMINO  
**GVSTAVO MOLANO**  
SERENISSIMI BRVNSV. ET LVNEB. DVICIS  
CONSILIARIO ECCLESIASTICO  
ECCLESIARVM HARBVRENSIVM  
SVPERINTENDENTI  
ET  
PASTORI PRIMARIO  
PATRONO SVO PROPENSISSIMO

Hanc Servatoris TVMBAM,  
studiorum Academico-  
rum primitias, humilli-  
mo, devoto & pio animo,  
sacram esse voluit,

THEOD. BOLMANN Auctor.



## THEOD. BOLMANNO


S. S. Theol. studioso & dissertationis praesentis respondenti atque auctori

S. P. D.

PRAESES

**Q**uemadmodum olim in ecclesia solenne fuit, sermones de tempore recitare publice, ita nostris moribus non minus pium est, dissertationes conscribere tempori convenientes. Vterque enim labor suo nunquam caruit fructu, si cogitemus, quantum in circumstantia temporis situm sit momentum. Ergo & Tu, charissime Bolmanne, debito maudandus es elogio, qui utramque consuetudinem in hac IVLIA sequi voluisti. Publice privatimque sermones de tempore a Te habitos aliquoties, & dissertationem academicam, proprio Marte conscriptam, Servatorisque nostri sepulturae tempus respicientem, strenue defensam audivimus. Duplice Te dignum judico honore & specimina illa multorum in patria emolumentorum praesagia esse non ex vano auguror. Perge modo, ut apud nos fecisti egregie, intellectum divina imbuere sapientia, voluntatemque ad optimosque quosque formare mores, & Dei auxilio in ecclesia salutares aliquando habebis de tempore sermones. Vale! deproperabam e museo in academia IVLIA

A. O. R. MDCCIII.









III.  
Sepulchrum cum Sacello.

Nº II.

Externa eaq. recentior facies  
Sepulchri sine Sacello.



Nº I.  
Interior Sepulchri Conspectus.



J. J. Müller sculp.








*Fachplan  
des  
Kuppelsaals*

*III  
S. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.*

*o. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.*





III  
Schulhaus

Schulhaus





## PROOEMIUM.



Um diu multumque meditarer, quam pro disputatione elaborandam materiam in manus sumerem, temporis præsentis passionalis rationem mihi esse habendam, tandem conclusi. Et hinc sigillum, quo Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes passionem Christi Servatoris obsignarunt, non solum aspicerem sed & inspicere admodum salutare duxi. In dominicum sepulchrum B. L. digitum meum intendo. Certo momentum hujus sacratissimi monumenti dudum Esaias (qui, testante Hieronymo, de morte & passione Christi tam clare loquitur, ut magis evangelicam, quam prophetam agere videatur) duobus illustribus vaticiniis indicavit, quorum alterum c. XI. com. 10. *וְיָתֵחַ מִנְּרֵתוֹ כְּכֹד* alterum c. LIII. 9. quod et si *Flac. in Cl. S. S. p. 691.* obscurum, & *Seb. Schm. in Comm. supra Esaiam p. 478.* vexatissimum: testante tamen eodem *Fl. l. c.* maximi est momenti, & clare satis de monumento Servatoris loquitur. Absterrebant me ab initio verba *B. Hildebrandi in Antiq. p. 156.* quando *historia*, inquit, *sepulcri, in quo corpus Christi fuit repositum, variis difficultatibus implicatur, quas*

A

nemo

*nemo solvet, nisi ex antiquitatibus Judaorum formam sepulcrorum cognoverit; & Isaaci Casauboni in Exerc. Antibar. p. 377. qui historia sepulcri ait, in quo repositum corpus Domini, difficultatibus non caret. Probenim mihi sum conscius, me Lectori B. ex asse non satisfacturum, cum juvenis sim, in antiqq. aut parum aut nihil versatus, τὸ μὲν μέλλον, πολὺ, τὸ δὲ παρεληλυθός, βραχὺ ut cum Arist. ex lib. II. c. XII. Rhet. loquar. Nihilominus omnibus sepositis difficultatibus opus aggredior, cumque asperior & difficilior paulo hic labor, eaque propter citius mihi a summo numine expotenda sit gratia; merito cum Quaresmio, ordinis minorum theologo, olim terra sanctæ presule ac commissario apostolico, in terra sanctæ Elucid. l. 1. c. 11. spiritualem sponsum servatorem ex Cant. VII. 11. 12. ita invito, Veni dilecte mi, egrediamur in agrum (explicante Quaresmio, terram promissionis) commoremur in villis (castellis & civitatibus terræ promissionis surgemus ad vineas: videndo si floruit vinea, (ecclesia sanctissimi Salvatoris nostri.) Iter quidem non corpore tenus, (quod nimis arduum & difficile) sed spiritu tenus ingrediar, existente Spiritu sancto ὁδηγῶ ἀληθείας sec. Joh. XVI. 13. Jure hinc more peregrinantium (uti memorat Corovicus Iem. p. 174.) sacrum Christi thalamum venerarurus & exosculaturus Te B. L. cantu, quem Minoritæ ingressuri sacrum sepulcretum testante Cosov. p. 172. canunt, simul excito: age*

*Ad locum jam sanctissimum  
 Sepulcri Christi corporis  
 Eamus votis mentibus  
 Quærentes Jesum laudibus.  
 Damini Christe Tui digne, meminisse sepulcri.  
 Sit itaque.*

CAP.



3.  
CAP. I.  
SECTIO Ima.  
SISTENS MONVMENTVM DOMI-  
NICVM VETVS.

§. I.

**N**on sine stupore varios variarum gentium sepe-  
liendi ritus animadverti. Quis enim non miretur?  
quod, referentibus *Al. ab Al. D. G. l. 3. c. 2. fol. 114.*  
*115. Polyd. Vergilio de inventoribus rerum l. 3. p. 202. Gyraldo*  
*in tractatu de sepultura ac vario sepeliendi ritu cap. XXIII.*  
*& XXIV. p. 401.* Persæ, Hyrcanî, Bactriani, Parthi,  
Taxili, Caspii, Iberi, Magi, a vulturibus canibusque se-  
pulcralibus, hunc in finem habitis, demortuos suos di-  
laniari curarint; Æthiopes vero Hyperborei, Pæones,  
Ichthyophagi, Lothophagi in mare, vita functos præcipi-  
tarint; Indi, Massagetae, Derbices mortuorum cadavera  
ovillis carnibus mista devorant; Phryges, Carthagi-  
nenses, Barchæi, Thraces, igni tradiderint; Tibareni sus-  
penderint; Scythæ Nabathæi sterquiliniis infoderint.  
His de ritibus plura possunt legi & relegi in dicti  
*Lili Gregorii Gyraldi tract. de vario sepeliendi ritu*, qui,  
(ut verbis) *B. Hildebrandi in Theol. Dogmatica p. 176. utar,*  
*de origine sepultura, de sepulcorum materia, de pompa fune-*  
*bri, de luxu circa funera, de vocibus ad sepulcra spectan-*  
*tibus, de curatoribus funerum, de luctu, de ludis funebri-*  
*tibus, de cenotaphiis, de apotheosi Rom. Imp. de variis*  
*sepeliendi ritibus, in specie Judæorum, Christianorum, Tur-*  
*carum, Græcorum, Romanorum, Æthiopum, Indo-*  
*rum, Persarum, Thracum, Gallorum, Tragodytarum,*  
*alia-*

aliarumque gentium erudite, sed nimis concise agit. At hoc M. R. Dn. Jo. Faes uberiores notæ compensant.

§. II. Quantum ad Romanos, Græcos, Iudæos & Aegyptios attinet, res sese aliter habet. Romani, testante *Gyrardo* c. XII. cadavera prius terra condidere, dein cremarunt ob aliam causam, mox temporibus Antoninorum Imperatorum iterum terræ terra reddita. Vid. præter eum *Al. ab Al. lib. III. c. 11. f. 116.* & *Kirchmannum statim in fronte lib. 1. c. 1.* qui humationem & combustionem in usu apud Romanos fuisse asserit; adeo ut c. 2. contra *Plinii* assertum ex *lib. 7. c. 54.* cremationem humationi præferat. Quantum ad græcos, eodem *Kirchmanno* deducente c. 1. *lib. 1.* & emortuos ii combusserunt & sepelierunt. *Gyr. c. XXI. p. 393.* Aegyptii vero & Judæi teste *l. 2. Al. ab. Al. c. XXVIII.* & *Gyrardo cap. XVII.* probante ex *Diodoro Siculo lib. 1. Bibl. Hist. Part. II. c. III.* cadavera condita condiderunt, quemadmodum & ipse *Grotius* in eruditissimo libro *de jure B. & P. c. XIX. lib. 2. p. m. 473.* facit testatum.

§. III. Et quidni, ut propius accedam, ex vetustissimis Judæorum sepulcretis probaremus, solam humationem obtinuisse apud Judæos? Hoc nempe satis confirmat אברהם Abrahamic Gen. XXIII, ubi jam sita urbs templumque ingens, dicente *Benj. Tudel. p. 47.* in quibus gentes sepulcra sœx. *Abrahæ, Saræ, Isaaci, Rebeccæ, Jacobi & Leæ* construxerunt, de quo cum *Iob. Lightfoot. H. H. & T. p. 93.* tum *Pfeiff. D. V. p. 157.* possunt relegi. Confirmat quoque sepulcretum *Davidis*, quod ad tempus suum peritare *D. Petrus Act. II. v. 29.* asserit, & in ecclesia *Sion* adhuc hodie peregrinis monstratur, (vid. *Quaresm. p. 121. l. 4. c. 4. Tom. 2.*) cujusque gloriam describit idem *suse c. VIII.* & alibi *p. 305.* Si qui igitur nobis persuadere vellent apud ipsos Judæos obtinuisse cremationem: opponeremus eorum objectionibus *Geierum de Iustu Hebr. c. VI. §. 3.* & *Pfeiff. in Antiqq. Heb. c. VI*

5.

c. VI. Id statuimus, præ cæteris Judæos sollicitos fuisse de honesta sepultura.

§. IV. Quanta autem fuerit apud omnes gentes sepulcrorum religio, paucis saltem delibabo, ne prorsus a scopo aberrem, sepulcri enim violati actio instituta est, vide sis *Gyrald. c. IV. p. 232. Kirchn. c. XXI. l. 3. Al. G. D. l. 6.* Quæ fuerit apud Judæos monumentorum religio & sanctitas, perspici potest judice *Grotio lib. II. c. XIX.* ex eo, quod etiam corpora, ad publica supplicia damnata, ante solis occasum humo mandaverint. Add. Num. XXV. 4. Deut. XXI. 23, II. Sam. XXI. 6. 14. Cum igitur sepulcrorum tanta religio & in specie apud Judæos, quid quæso de monumento & sepultura Christi dices? Nonne omnium monumentorum quæ fuerunt, sunt & erunt, est sanctissimum? Quod Augustinus l. 1. de Civ. Dei c. XII. p. 54. sepulcra esse dicit *vivorum solatia*, maximo jure de sepulcreto servatoris dicere licebit. Quod item *Glasius Ph. S. p. m. 326.* tradit, articulum  $\delta, \eta, \tau\delta$ , raro emphasi destitui, si huic nostro monumento applices, insigne momentumprehendes, Matthæus enim c. XXVII. & XXVIII. tribus vicibus  $\tau\delta \muνημείον$ , Marcus c. XV. & XVI. quinque, Lucas c. XXIII. & XXIV. toties, Joannes novies  $\tau\delta \muνημείον$ , dicunt, & hoc modo ad illustre Jesaïæ vaticinium c. XI. 10. respiciunt. Sancti ad unum omnes amanuenses, postquam pollincturam myrrhæ & aloë factam, actumq; in volutionis sardonicæ, (quatuor, Taurinensem, Vefontinam, Compendinensem, Moguntinam usurpatas fuisse vult *Quaresmius c. XVII. lib. 5. §. 4. p. 531.*) descripserunt, actum sepelitionis accurate describunt. Matthæus quam habet  $\muνημεια \gammaραφια$  hæc est:

C. XXVII. 60.

Ἐθηνεν (ὁ Ἰωσήφ) αὐτὸ ἐν τῷ καινῷ αὐτῆ μνημείῳ, ὃ ἐλαπίμησεν ἐν τῇ πέτρῃ. καὶ προσκυλισίας λίθου μέγαν τῇ θύρᾳ τῆ μνημείῳ.

A 3

Mar-

κατέθηκεν αὐτὸν ἐν μνημείῳ ὃ ἦν λεηλατομημένον ἐκ  
πέτρας. καὶ προσεκύλισε λίθον ὄπισθ' αὐτὸν τῷ μνημείῳ.

Lucas XXIII. 53.

ἔθηκεν αὐτὸ ἐν μνήματι λαζευτῶν ὃ σὺ καὶ ἂν εἶδες εἰς κείμενον  
Joannes XIX. 41.

Ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ ἔπη ἐσαυρώθη, κήπος, καὶ ἐν τῷ κήπῳ  
μνημεῖον καινόν, ἐν ᾧ εἶδ' ἄρα εἰς ἐπίση.

Omitto & homonymias ac synonymias monimenti, de quibus operosegit Kirchmannus lib. 3. c. X. p. 253. & ipse Quaresmius c. VII. l. IV. p. 128. nec non Gyraldus p. 322. c. IX. Ego ordine, præeunte Spiritu S., considerabo monumenti auctorem, locum, materiam, formam & adjuncta.

§. V. Auctor hujus antri est Josephus, cujus sacrae pandectæ honorificam faciunt mentionem, cum eum a patria, ab opibus, dignitate, pietate & varia actione describant. Patria ejus fuit Arimathæa, quæ Syro ubique dicitur  $\text{Ἀριμαθῆα}$ . Vrbs sita in monte Ephraim, ut *Adrichomius* & *Dapperus* perhibent, dicta I. Sam. I. v. 1. Ramathaim Sophim, patria Elcanæ, cui eidem urbi propheta Samuel cum natalem tum emortualem debet diem. Hodiernis testibus *Quar. c. 2. lib. 4. Tom. 2. Corovico Hodapæ. p. 141.* in planitie sita dicitur, dicta alias Ramatha, Ramathæ, Ramathaim, Arimathai post Rama. *Adrich. p. 29.* dicitur civitas Judæorum, quia erat in regno & provincia Judææ. Ab opibus Josephus describitur,  $\text{πλούσιος}$ : Sicut & patria ejus a *Corovico splendidissima & opulentissima civitas*, atque universa Judæa emporium præcipuum, dicitur; & *Bonifacius* (quem citat *Quaresmius*) in de perenniculu libro testatur, fuisse eam insignem olim civitatem divitiis plenam ob negotiatorum ad eam accen-



*densam multitudinem.* Jam patet, unde postea copia ipsi fuerit, non solum Pilatum conveniendi, sed & sinedonem, amicum primum in urbe Sidone factum (ut Polyd. Verg. l. 3. c. VI. p. 104. habet) comparandi, & monumentum (quod ditiores quique fecerunt) excavendi. A dignitate describitur, cum dicitur, ἐνδοξοῦ βουλευτῆς, quod ἐπίδρωι Vulgatus, nobilis, alii gravis ac modestus, alii dives, nonnulli honoratus ac honestus ut Erasmus, alii vir honesti loci, reddunt, nobis vox honorabilis optime arridet, quam & Syrus habet **ܦܝܠܘܬܘܫ**. Dicitur enim hoc cum de eo, qui decenti ac speciosa forma est, tum de eo, qui decenter, compositae ac honeste se gerit. Quod βουλευτῆς dicitur, id vulgatus decurio, alii senator, Beza consulor, vertit, ita ut sit nomen dignitatis non officii militaris. Qui eum ex synedrio membrum fuisse statuunt, argumenta, ex S. Scriptura certe, bene expensa & trutinata, aut nulla aut lubrica reperient. Non enim dicitur ἀρχων, ut Nicodemus Joh. III. 1. sed βουλευτῆς: βουλευτῆς vero recte cum **Λιγθφοο** Horis H. principes, contradistinctos vultibus, dicimus. Syrus retinet vocem **ܦܝܠܘܬܘܫ**, qua urgente voce cum **Λιγθφοο** recte colligimus, eum fuisse ex eorum numero, qui in conclavi summi sacerdotis, tanquam βουλευται ἢ πρόεδροι, sententiam dicebant, deliturgia publica rebusq; templi consultabant; hinc opinamur βουλευτῆν vocari, ideo quod sacerdos foret eque confessu isto sacerdotali. Domicilium & sedem fortunarum suarum habebat Hierosolymis, ut Grotius apud Sagitt. p. 113. Harm. Hist. Pass. judicat, qui simul eum senatoremq; senatus urbis Hierosolymitanæ denominat. A pietate describitur, cum dicitur vir bonus & justus, item ἐμαθήσεν τῷ Ἰησοῦ, quod alii vertunt, discipulus fuerat Jesu, alii discipulum egerat, uti Syrus, discipulaverat i. e.

i. e. discipulum se ei præbuerat, alii *discipulos fecerat* *Jesús*. Expectabat regnum Dei, veram agnoscens doctrinam. Fuit *πίστες*, quamvis *ἀληθῆς πιστός* Joh. XIX. 38. Non consenserat in condemnationem supra Jesum latam, potius corpus ejus sanctissimum *τοῦ μῆκος* sumta fiducia, ut recte Casaubonus, post dubitationem petiit, magnitudine animi erat ea, ut cum in atrocioribus criminibus non haberet sepultura locum, ille etiam, contra leges, sepeliendum Christi sanctum *σῶμα* peteret. Ab actionibus describitur, quod sindonem emerit, Christumque pollingi curarit, sindoni involverit, monumento, juvante altero Christi funeris curatore Nicodemo imposuerit. Hic Josephus merito *Grosio* c. XIX. l. ii. de J. B. & P. p. m. 473. a sepelitionis actu mansuetus, humanus, misericors, religiosus, pius & clemens dicitur, & *Tertulliano*. Funeris curatio apud *Guilielmum Cave* in *primitivo christianismo* p. 653. pars pietatis Josephicæ dicitur & religionis. Fabulam sapit, quod de viro hocce dicitur. *Quar.* p. 573. Apparuit Christus Josepho ab *Arimathæa*, dicitur enim in evangelio Nazarenorum, quod, cum Judæi eadem vespere, qua Dominum sepelivit, eum in quodam cubiculo clauso ac sigillato reclusissent, alligantes eum primo ad columnam in ipso carcere. & cogitassent post sabbatum eum occidere, ecce statim in ipsa resurrectionis die suspensa domo a quatuor angelis, Dominus ad eum introivit, eique lacus aperuit, atque illum verbis consolatus est, faciemque ejus extersit & osculum dedit, ac dein salvis sigillis eum educens ac liberans in domum suam, quam habebat in civitate *Arimathæa*, ipsum adducit. Fabulam itidem sapit, quod anno dominico 35. sevientem persecutione cum aliis mari absque romigio impositus *Masliam*, cum reliquis appulerit, & postea ex Gallia in *Britanniam* navigavit, ibique mortuus. Sepulcrum ejus præter hoc dominicum, sibi incisum, in quod vero non fuit recon-

dicitur, monstratur hodie peregrinis v. *Quar. c. XXV. lib. 5. & in Ichnographia p. 576. Corov. p. 186.*

§. VI. Materia hujus tumbæ Matthæo & Marco dicitur πέτρα sive rupes. Et merito verba, ἡ λατρίμων ἐν τῇ πέτρῃ. *Matth. XXVII. 60. & Marci XV. 46. λελευτο-μνητόν ἐν πέτρῃ, & Lucæ XXIII. 35. λαζουτόν μνημα* trutina expendenda ducimus. *Pérez Fl. in Cl. S.S. p. m. 912. sua propria significatione materialis petra, id est, grandis aliquis rupes, vivum saxum vocatur. Quapropter cum Quar. p. 490. dicimus: materia non fuit lignea vel lateritia, ita ut fuerit, vel area lignea vel domuncula ex pluribus lateribus confecta, sed fuit solida rupes solo inhaerens, in qua celte incisum & excavatum fuit sepulcrum.* In tumulo, sicut habet *Hieronymus*, novo, quod excisum fuerat in petra, conditus est, ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablati furto diceretur. *Juxta Sag. Harm. Hist. Pass. p. 1136.* monumentum fuit solidum saxum, non compactile aut struibile, sed excisum suo loco nativo. Totum enim, circa Hierosolymitanam urbem, solum ad sexagesimum usq; lapidem fuisse ὑπόπετρας, doctissimus *Casaubonus Ex. 98. p. 578. & p. 143.* ex *Strabone* annotat. *Salmasii* vero & cum eo *Poli* in *Critica* tom. 4. p. 1062. opinionibus, (quasi materia hujus monumenti fuerit lapis cælus & politus) egregie anteverti, videtis in *Sagitt. Harm. Hist. Pass. p. 1138.*

§. VII. Locus hujus sepulcreti fuit κήπος sive hortus. Cadavera intra domum sepulta olim, concedere quidem vult *Kirchmannus lib. 2. c. 20. p. 167.* de Latinis & veteribus Græcis, sed non de Romanis. Certum hoc est, non solum ex *Kirchmanno l. c.* sed & *Rosini Antiqq. Rom. p. 993. & Al. ab Al. lib. V l. c. XIV. p. m. 351.* legem XII. tabularum (quam *Cicero de leg. lib. 2. p. 288 vol. 4.* habet) esse latam: in urbe ne sepelito neve urito, postea vero clare de republ. meritorum cadavera intra urbem esse condita au-

Æores citati satis probant. Certe *Kirchmannus* sepulcra in agris, domibus, hortis, templis, urbibus, viis publicis exstitisse, satis in suo erudito tractatu probat. Hebræos potissimum extra urbem sepelivisse, ex *Luc. VII. 12. Matth. II. 28.* & reliq. locis probo, eosdem in agro ex *Gen. XXIII. 19. Matth. XXVII. 7.* eosdem intra urbem ex *II. Reg. XXI. 18. & 26. I. Reg. II. 34. I. Reg. II. 10. II. Reg. II. 24.* & in hortis sepelivisse, partim ex iisdem locis, partim ex præfati textu cum *Geiero* in *de luctu hebræorum c. VI. p. 117.* probo. Horti, ut refectionis causa plerumque instrui solent, apud Judæos tamen hæc in se continebant mortalitatis monumenta. *Κηροπαγειν* tradit solus *Joannes*, cum ait: *Erat in loco ubi crucifixus, hortus, & in horto monumentum, monumentum propinquum erat ad 50. aut 60. passus a monte Calvariæ, ut Adrich. p. 175.* a monte *Sion* passibus mille. *Ego*, inquit *Quaresmius c. X. lib. V. Per. II. p. 501.* recta procedendo a cavo, ubi plantata fuit sancta crux, usque ad locum ubi sepultum fuit corpus *Jesu*, inveni pedes sive palmos, eadem apud me mensura 132. est in plaga occidentali *Calvariæ* montis, vergendo tamen parum ad septentrionem. Sed cave sis, sunt hæc de monumento τῆ ρύ.

§. II. X. Quantum ad formam attinet, rem insulam foremus facturi, ex hodierno *εξήντη* sepulcro vetus illud *ἀρχαῖον* mensuri & æstimaturi. Quamvis schema *Cotovicianum* p. 172. & *Dapperianum* p. 324. sibi in plurimis respondeant, & *Ichnographia templi* p. 186. apud *Cotovicum*, & eadem apud *Quaresmum* p. 576. sint *ἰσοειχῆ* quod conferendo optime perspicitur. Certe *Baronius* ipse, at quantus apud pontificios vir! apud *Cassanbonum* in *Exerc. CXXII. p. 607.* primam spelunca illius formam plane esse immutatis, atque id ante plurima secula,

11.

gentine faretur. Doctissimus *Casaubonus* l. c. addit quare neque hodierna, vel proxime lapsorum seculorum descriptiones existimanda sunt, veterem formam exhibere: neque ex *Adamnano* vel *Beda*, eam nos posse discere, arbitrari debemus. *Quaresmius*, postquam de materia sanctissimi sepulcri ejusdemque formæ pristina conditione varia doctorum, *Beda*, *S. Willibaldi* episcopi, *Guiljelmi de Baldensel*, *Brocardi*, placita c. IX protulerat. c. X. sententiam suam proponit, cum, sciendam ait, quod quamvis arvinissimum hoc monumentum veterem priorem formam accidentalem, quam dedit *Joseph*, vel potius natura, haud retineat, arte a fidelibus postea exornatum; non est tamen adeo demolitum, quin adhuc essentialia, memorata videlicet receptacula, in se non contineat. Ex subsequituris *Seft. II. c. I.* judica hanc, viri hujus, pro sepulcro veteri *וְהָיָה לְאֵלֶיךָ* pugnantis c. XIV. sententiam. Interim formam monumenti Christi sanctissimi, ex forma sepulcrorum veterum hebræorum promi debere, mecum ultro fatebere.

§. IX. Quam *Kirchmannus* affert distinctionem in monumenta singularia & communia, hæcque in hæreditaria &c. c. XIII. l. 3. eandem apud Hebræos retinere debemus. Distinguuntur sepulcra (ut cum *Cl. Ligifooto* loquar. in *Horis* p. 170.) in vulgaria & nobiliora. Vulgaria erant in cæmeteriis publicis, ut apud nos, ast extra urbem erant; sepulcra nobiliora; sibi excidenda curabant ditiores in petra, interdum propriis prædiis, non modico sumtu. Qui vendebat proximo locum sepulcra, conficere debebat interiora spelunca 4. cubitis & 6. cubitis (ut & *Casaubonus* p. 578. habet) atque aperire intra eam *כַּוִּיִן* octo sepulcra. *כַּוִּיִן* est ipsissimus locus ubi reponitur mortuus. Sepulcra ista sunt longitudinis 4. cubitorum, altitudinis 7. latitudinis 6. Ingredientibus in speluncam sepulcralem, & ferebro subeuntibus erat primo arca, ubi steterunt ipsi ac ferebro depo.

deposuerunt, inde dimisuri in sepulcrum, ab hoc ac illo latere erat spelunca vel excavatio, arca ista, 4. cubitis profundior, in quam cadaver demiserunt, paratis ibi ad varia cadavera variis loculis. Concauum spelunca conficitur 6. cubitorum, atque 8. cubitorum, atque aperit intra eam 13. sepulcra, quatuor hinc & quatuor illinc, & tres coram iis unumque a dextra ostii, atque alterum a sinistra, conficiturque area intra introitum in speluncam quadratura, secundum dimensiones feretri, ac subeuntium. Atque aperit ab ea speluncis duas, hinc unam, aliam inde. Vestigia duarum arcarum quodammodo indicabit N. r. adjecti schematis in conspectu sepulcri interiori. Hoc relinquitur indubium, quod monumenta hebræorum fuerint speluncæ, dicta hinc מַעְרָא sive antra a forma, iudice Casaubono p. 578. Gyraldus p. 125. meminit cryptarum subterranearum. (quas græci hypogæa, latini conditoria nuncupare soleant) sepulcris dispositarum, talismodi quoque crypta Servatori meo a Josepho aptata. Quaresmius, qui, ut in prætamine loquitur, non semel sed pluries aliquot per annos, quæ habet, observavit l. 4. peregr. 4. c. 7. p. 127. in sepulcris hebræorum duo advertit: alterum quod a natura, & alterum quod ab arte receperunt. Illud quod spelunca essent nativæ in rupibus, ad quarum imitationem alia fodiebantur; hoc vero, quod postea arte & labore perficerentur. Evidens enim est montanam istam regionem nativis & artificiosis speluncis abundare, in quibus hebræi sua cadavera sepeliebant. Et talia sepulcra a ditioribus quibusvis parabantur & excavabantur; quale & a Josepho divite excavatum, quod quidem Servatori meo non erat destinatum monumentum. *Humatio enim* (ut cum Cl. Ligifooto ex horis H. p. 490. loquar) interfecti a synedrio non fuit in sepulcris patrum ejus, sed duo sepulcra erant parata a synedrio, unum occisis gladio & strangulatis, alterum lapidatis & combustis, illic, ut ἐπιταφίῳ Cl. Ligifooti

footi utar, sepeliendus ex more Jesus, ni Josephus pius Christi pollinctor & funeris dominici curator a Pilato impetrasset, ut honestius humaretur &c. Divitis hinc Josephi (o miram Dei providentiam!) monumentum excavatum Jesu me cessit.

§. X. *Quaresmum* B. L. videas toto c. X. lib. V. acerrime defendere tria distincta loca sepulcri ex rupe, solo inhaerenti, excisi. Prior ait ante capellulam erat, in qua positum fuit, velut in arca, corpus Jesu, & vestibulum quoddam esse in rupe excisum, ex quo in capellulam pateat ingressus ab ostio orientali, & hoc est alter locus: tertia erat arca in eadem capellula excisa e solo prominente in aquilonari latere. Hoc hominem hunc, contra Bedam, ex catech. Cyrilli mentionem facientis de foramine & vestibulo monumenti dominici, strenue asserere videbis. Latinus vero interpres Cyrilli (Casaub. p. 608. Ex XVI.) suis lectoribus fucum misere facit. Foraminis & vestibuli in græco nulla fit mentio, quia enim monumenta in Judæa ante aditum semper habuerunt *ὀρειῶν* ex eodem saxo excisam, quæ potest intelligi, aut de parva quadam lorica ante monumentum, vel de eo, quod latini vocant *protectum*, tale non existisse in sepulcro dominico ornamentum fatetur Cyrillus. Nullum hic foramen, nullum vestibulum. *Quaresmius* tria loca in sepulcris nobilium & illustrium personarum, quæ sunt in rupibus & montibus circa Jerusalem, supra modum stabilit, & pluribus locis Matth. c. XXVIII. 1. Marc. XVI. 4. Matth. XXVII. 60. c. XXII. 8. Marc. XV. 46. c. XVI. 3, & 8. Luc. XXIV. 2. 9. Joh. XX. 1. 3. faculam accendere annititur, an ne vero potius obcuret, quam illustret, B. L. mecum disquiret.

§. XI. Monumentum dominicum erat novum. Ex novitate manifeste perspicitur divina providentia. Ne, ut *Sagittarius hist. pass. harmonia p. 1136. ex Isidoro Clario* habet, *sic Servator in tali monumento conditus*



in quo plura conditoria, & sic plura cadavera, ceteris corporibus manentibus, aliis resurrexisse videretur.

S. XII. Adjunctum hujus monumenti est advolutio lapidis. Meminerunt sancti amanuenses lapidis a Josepho januæ monumenti advoluti. *Morem hanc fuisse restatur apud Polum p. 648. Polybius. Lapidem advolutum ori fontis Gen. XXIX. v. 3. 8. & monumento advolutum, ex Joh. XI. 38. liquefcit. Actio ἀποκλιση recte juxta Gl. Phil. S. p. 357. can. XXII. actionem mandanti est tribuenda. Josephus dubio procul per alios lapidem admovendum curavit. Duplicem facimus custodiam dominici sepulcri, alteram fidelium & amicorum Christi, alteram infidelium & hostiom ejusdem. Illa consistit in admotione lapidis ad ostium monumenti, hæc in signatione lapidis, & militum assistentium custodia. Marcus dicit, lapidem fuisse magnum valde, Mattheus saxum magnum, *Beda lapidem maximum, ingentem Nicephorus. Lapis adolvebatur ut Sagitt. p. 1142. partim, ne se viri posset in cadaver, partim ne furtim auferretur, ne corpora dilacerarentur a feris, neve fœtore aer inficeretur. Hic prodeunt variæ eæque controversiæ quæstiones, ut dominicum monumentum mihi sermo evadat tale, cujus meminit Diodorus Siculus l. l. c. 2, ubi, Menides, inquit, quem nonnulli Marum cognominant, sepulcrum construxit, quod Labyrinthus appellatur: rem mirandam profecto non tantum operis magnitudine, quantum arte ad imitandum difficile: Nam ingredientibus haud facile egressus datur, nisi duce itineris experta. Quæritur, quot lapides monumento advoluti sint, an unus, ut receptissimâ sententia, an duo, ut vult Maldonatus Hispanus, an tres, ut vult Barradius citatus Sagittario p. 1143. Harmon. tom. IV. lib. VIII. cap. II. & III.? An lapis foribus totius horti, an monumenti, an conditorii sit advolutus?**



15.

tut? an ferramenti insuper in lapide sit firmatum monumentum? An dominicum Servatoris sepulcrum a terra in altitudinem erectum, an minus? Quale fuerit sigillum, quo signatum monumentum? Vt adeo, tot quaestionibus exardentibus, post dudum devolutum lapidem, merito cum querulis mulierculis eandem debeamus inflare tibiam? Quis nobis revolvat lapidem ab ostio monumenti? quis difficultates solvet omnes?

§. XIII. Vt vero hisce quaestionibus pro virili satisfaciam, respondeo, Josephum pollinctorem Christi pientissimum non *alios*, sed *alios* lapidem advolvisse; sicut hoc sancti testantur duumviri Matthæus & Marcus in evangelicis historiis. Quod attinet *Maldonatum*, certe non sibi invenisse, quod pueri in faba solent, videtur, dum statuit in cap. XXIIX. Matth. *duos fuisse lapides*, & *miratur neminem ante se hoc observasse*: sed singularis profecto hæc est sententia, quamque apud alium non observaveris, indicio, quod magni adeo non sit momenti. Communis ergo altera est tenenda, quæ asserit unum fuisse lapidem, & illum admotum ostio monumenti. Quod vero tres admoti sint lapides, ut *Barradius* somniat, multo nobis improbabilius videtur. *Οὐδὲν ἄρα παραδοῖν*. Quid entia multiplicanda sunt præter necessitatem? Si tres admoti fuissent lapides, Deus optimus maximus, qui hujus monumenti materiam, formam, auctorem, locum & adjuncta, prout vidimus, præscripsit, & custodiam tribus lapidibus factam revelasset; id quod miraculum resurrectionis dominicæ auxisset.

§. XIV. Ad secundam quaestionem rehero: lapis advolutus est *τῆν θύραν τοῦ μνημείου* ostio extremo live ori (ut vocant hebræi Gen. XXIX. 3. 8.) monumenti *B. Georgii* quidem *Calixti* ori unius ex octo illis conditoriis  
lapi.

lapidem admotum fuisse autumat. *Conc. Evang. l. VII. c. I. p. 411.* Meam sententiam stabiliri ex Joh. XI. 38. arbitrarer, ubi pariter Evangelista inquit: ἦν δὲ σπήλαιον ἐκ λίθου ἐπέκειτο ἐν αὐτῷ: quod ex *Polo S. 1215.* sic verti liceat: appositus erat ad ostium ejus sc. spelunca, per quod in antrum spelunca descendebatur. Non multum ab ea ablutit eruditissimus Casaubonus: *Habuit suam hortus portam, monumentum suam, lapis enim, cujus evangelistae meminerunt, non foribus horti fuit advolutus sed monumenti, vel conditorii illius, in quo corpus domini fuerat repositum.* Plane vero idem sentit *Sagitt. p. 1142.* dicens lapidem non conditorii, sed totius monumenti evangelistae intelligere. Nam primo nondum satis constat, an singula illa in monumentis foramina, singulos acceperint lapides? deinde si maxime habuerunt, tam ingentem tamen non fuisse puto, ut non una vel altera muliercularum, nedum plures facile potuerint movere loco.

§. XV. Quoad tertiam replicamus: quod consentaneum nobis non videatur, munitum fuisse sepulcrum ferramentis &c. Ea enim evangelistae αὐτίκτα non ta-cuissent, quorum mens fuit explicare diligentem Judaeorum custodiam circa domini sepulcrum, utpote qui magnitudinis lapidis, sigilli & militiae custodientium meminerunt. Quare & ferramentorum meminisset, si illa ex-citisset, praesertim cum illis non obstantibus, ex monu-mento si Christus exisset, in majorem id ipsi honorem ces-sisset & miraculum resurrectionis illustrius apparuisset. *Quaeresimus*, quantum suo tempore observare potuit, nec in ostio monumenti, nec in lapide olim ad ipsum advolu-to, qui unicus monstratur, ferreorum vinculorum vel fibularum vestigia ulla videri, dicit. Patetur tamen in ap-posito postea marmore a fidelibus circa ostium sepulcri ejusmodi quid adornatum. In isto lapide hinc inde in tribus

tribus locis, superius, inferius & in medio ex parte interiori sepulcri cernitur plumbum, quo ferrum aliquod firmabatur: fueritne ibi ferrum longum, prohibens ingressum, an cardines, in quibus verteretur aliquod ostium, nescit. Illud in Palæstina audivit, & ita fuisse probabiliter sentit.

§. XVI. Quartæ quæstioni antevertimus, dicendo, monumentum non fuisse elevatum super terram opere aliquo architectonico, ut recentior sepulcri facies N. 2. in adjecto schemate exhibet. Hoc enim auctores ponunt discrimen inter regum & Christi sepulcretum. Illa erant elevata super terram, & vel turribus vel aliis culminibus superbiebant; hoc vero minus. Et si quid ex scriptoribus H. E. colligere licebit, Eusebius vocat ipsum monumentum *ἀντρον*, quo ipso ostendit monumentum non fuisse elevatum, sed depresso. Ultimæ tandem quæstioni satisfacimus dicendo: Si tunc similiter ac nostris temporibus ostia sigillis muniabantur, posset dici, chartulam, vel quid simile appositum fuisse ostio sepulcri, & lapidi ad ipsum advoluto, & cera gypsoque apposite sigillo superadedito fuisse sepulcrum munitum, quemadmodum horrea gubernatoris civitatis simili modo obsignata, in publica via qua itur ad sepulcrum sanctum, non semel observavit Quaresmius. Ego sectionem hancce primam obsequio versibus elegantissimis christiani poetæ Sedulii, quibus cœcitatæ Judæorum & hostium Christi sic illudit:

*Constitis armate dolos signate sepulcrum  
Ponite custodes, monumento advolvite saxum  
Quis poterit servare Deum, cui cardine rerum  
Cuncta patent, undis habitat, per tartara regnat  
Et cæli de nube tonat? Quid seve tumultus  
Excubiis deperdis opus? Quid niteris illam  
Explorare fidem, cui non vis credulus esse?*

C

CAP.

18.  
CAP. I.  
SECTIO II.

SISTENS MONVMENTVM NOVVM.

§. I.

**H**Oc augustissimum Servatoris antrum post Christi resurrectionem, suavissimo solatio plenam, tam multa & tam varia sustinuit fata, ut vel de fati tumbæ Servatoris posset conscribi diatribæ. An locus hic sacratissimus ab anno dominicæ ἀναγωγῆς trigésimo quarto, usque ad annum septuagesimum secundum, & huic succedentem annum, in simplici illa structura incolumis perstiterit, deficiente historicorum fide nobis relinquitur incertum. *Βδελύγµα ἐρηµιάσως* (quod cum *Franzio in tractatu aureo de Interpr. scripturae S. Or. CXXIV. p. 777. & cum Glasio Phil. S. l. III. Tract. I. p. 261. recte vertimus, abominandam desolationem) cum viderint anno Christi 72. & 73. Hierosolymitani sub Vespasiano Imperatore, monumento nostro haud parvum fuisse, facillime conjicere possumus. Cum templum, at quæ, qualis, quantaque ædes! omnimodam destructionem & postremam vastationem per ignem perpeffum sit, quid quæso in hocce monumento furiosas & rabiosas militum manus expertas esse existimes? *Hieronymus in ep. ad Paulinum* testatur, quod ab Hadriani, qui anno 117. vixit, temporibus, usque ad imperium Constantini per annos circiter centum & octoginta in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in crucis rupe, statua ex marmore Veneris a gentibus posita cultum sit; existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluisent. Hanc statuam eum in finem*

finem esse erectam annotat. *Soz. lib. II. c. I.* ut, qui Christum in eodem loco adorarent, Venerem viderentur colere, & ut temporum diuturnitate vera causa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in oblivionem. Sepulcrum, homines impii & scelerati ex hominum memoria delere cogitavunt. Itaque ceperunt permultum laboris in terra aliunde invehenda, qua locum univ-  
 sum obducerent, & cum molem terræ in immensam altitudinem erexissent, lapidibusque divinum sepulcrum contravissent, ingente aggere supra injecto obtexerunt: cumque nihil jam illis ad oplendum deesset, super illum terræ cumulum nefandum revera & execrabile bustum animarum construere, & recessum lascivæ Veneris dæmonis una ædificare, simulacrisque mortuis complere, detestabiles victimas super impuras aras immolare perrexerunt. Reliqui omnes auctores, ut supra Hieronymus & alii, meminerunt, Jovis simulacrum in resurrectionis, Veneris vero in crucifixionis loco erectum, quod cum proxime antecedenti loco Eusebii militare videtur. Verum enim vero <sup>ἐπιφανιστικῶς</sup> hoc facile solvitur dicendo, quod *Soz. l. II. c. I.* & *Eusebii l. c.* loquantur de loco communi, sepulcrum & calvariarum continente, ubi revera Veneris statua est erecta, reliqui vero de locis peculiaribus dominicæ resurrectionis, ubi Jovis, & crucis, ubi Veneris statua erecta.

§. II. Post hæc vero tempora, cum sub imperio Constantini M. halcyonia ecclesiæ redderentur, anno salutis 326. Constantinus (ut habet *Eusebius lib. III. c. XXVI. & seqq.* de vita ejus) locum resurrectionis, per fraudulentos hostium conatus omni impura materia obductam, oblivione ignorationeque obriti non passus est, sed Deo adjutore invocato illam terræ particulam, hostium scelere contaminatam, inprimis purgari

purgari iussit. Quapropter confestim machinamenta, ad homines in errorem inducendos comparata, de sublimi prosternere & ædificia falso cultui consecrata una cum statuis & dæmonibus disturbare cœpit deditque mandatum, ut materia eorum, quæ erant dejecta, extra loci fines longissime ejiceretur, atque ipsum solum, ad ingentem altitudinem defossum, foras procul cum ipso aggere exportaretur. Simulatque solum terræ fordibus oppletum egestum fuit, aliud solum, id est locus ille monumenti, ex abditis terræ sedibus eminuit; ipsum etiam venerandum Christi resurrectionis monumentum præter omnem spem una emerfit. Hoc facto Constantinus litteras perscribit ad Macarium, in quibus ei patefacit, sibi curæ cordique esse, ut locus ille præclara ædificiorum structura exornaretur. Litteris eundem Macarium monet, ut is ita res disponat, quo dignitate hujus ædificii reliqua templa, quæ primas ubique tenent, superentur. *Λεχθὲν ἀπαχθὲν*. Nulla interposita mora ad illud Christi monumentum, nova Hierosolyma ædificata, & primo omnium sacrum antrum, divinum illud monumentum, imperatoris magnificentia velut totius ædificii caput eximiiis columnis illustratum, & ornatu splendido est decoratum & illuminatum. *Eusl. l. c. cap. XXXIV. & seqq.* in quibus Basilicæ ornatum describit.

§. III. Quod hucusque soli Constantino tribuit Eusebius, id a *Socrato lib. I. c. XVII. Theodoro lib. I. c. XVII. Sozomeno l. II. c. I.* & itinerariorum scriptoribus, Helenæ matri Constantini adscribitur. Verum enim vero utriusque in hoc opere potuit fuisse consilium, quia Constantianus litteras hac de re perscripsit, quid faciendum præcepit, & necessaria subministravit. Helena vero præsentia sua ornavit loca ista, imo & donariis aliisque

altisque tanta principe dignis. Alias ipsa sola duas ædificavit ecclesias, alteram apud Bethlehem in spelunca, in qua Christus natus est, alteram in monte, ex quo Dominus conscendit in cœlum. Inventionem dominici sepulcri per Hebræum, paterno quodam scripto edoctum, ipse *Sozomenus lib. II, c. I.* floccipendit, monstracionem Dei O. M. præfert. Ex tribus crucibus quænam sancta Christi fuerit, applicando mulieri morti vicinæ, & per applicationem iterum convalescenti apparuisse tradunt Socrates & Sozomenus, penes quos sit fides. Templum interim Constantini dudum esse desit, & quam diversæ sint Constantini & hodierni templi structura, conferendo *Dapperi schemata p. 308. p. 154. & 179. Cotovici* cum Eusebii *ναογραφία*, sine negotio potest indagari. Ex hæcenus dictis, Constantini & Helenæ opera monumentum esse ornatum & politum liquet. Descriptiones monumenti, quantum potero ordine nunc prosequar.

§. IV. Cyrillus Hierosolymitanus qui anno 350. floruit, meminit quidem foraminis ex eadem, ex qua excisum dominicum monumentum, petra, sed illud nunc non apparere addit, quoniam eversum est vestibulum propter præsentem ornatum. Nam ante regalem hunc ornatum & apparatus, sepulcri vestibulum erat ante petram. Sed ubi est petra quæ habuit vestibulum? Cosroës Persiæ rex post ann. 600. Judæam & in primis Hierosolyma expugnavit, omnia templa radicibus extirpari iussit, crucem Christi cum episcopo Zacharia, christianorumque multitudine, in Persiam asportari curavit, & quæ fata quæso fuere tum temporis monumenti dominici? Heraclius imperator elapsis 14. annis, omnem iterum terram expugnavit, crucem deportatam ipse iterum asportavit, & episcopo Zachariæ *δραδὶς* in mandatis dedit, ut templa  
vasta-

vastata iterum ædificarentur. vid. *Zonar. annal. t. 3. p. 63. sqq.*  
*& alii.* Adamnanus clarus anno 679, hæc de sepulcro,  
 (quæ afferimus ad ostendendum discrimen status templi  
 hodierni, ab illo, qui erat tempore Arculphi & Adamnani)  
 in libris de locis terræ sanctæ tradit. In medio spatio, ait,  
 interioris rotundæ domus (ecclesiæ supra sepulcrum  
 constructæ) rotundum inest in una eademque petra ex-  
 cisum tugurium, in quo possunt ter terni homines stan-  
 tes orare: Et a vertice alicujus non brevis staturæ ho-  
 minis stantis usque ad illius domunculæ cameram pes  
 & semipes mensura in alcum extenditur. Hujus tu-  
 gurioli introitus ad orientem respicit, quod totum ex-  
 trinsecus tegitur marmore; cujus exterius summum  
 culmen auro ornatum, auream non parvam sustentat  
 crucem. In hujus tugurii aquilonari parte sepulcrum  
 domini in eadem petra excisum habetur interius. Sed  
 ejusdem tugurii pavementum humilior est loco sepulcri.  
 Nam a pavimento ejus ad sepulcri marginem lateris,  
 quasi trium mensura altitudinis palmorum haberi di-  
 gnoscitur. Hoc in loco discrepantia nominum notanda  
 inter monumentum & sepulcrum. Nam illud supra  
 sæpe memoratum rotundum tugurium, alio nomine  
 evangelistæ monumentum vocant; ad cujus ostium  
 advolutum & ab ejus ostio revolutum lapidem Domino  
 resurgente pronunciant: sepulcrum vero dicitur ille  
 locus in tugurio, hoc est in aquilonari parte monu-  
 menti, in quo dominicum corpus lineamentibus invo-  
 lutum conditum quievit. Cujus longitudinem Arculphus  
 in septem pedum mensura propria mensus est  
 manu. Quod videlicet sepulcrum, non, ut quidam fal-  
 so opinantur, duplex est, & quandam de ipsa mace-  
 riola habens petram excisam, duo crura, & femora  
 duo, intercedentem & separantem: sed totum simplex  
 a ver-



a vertice usque ad plantas, lectum, unius hominis capacem supra dorsum jacentis, præbens in modum speculæ, introitum a latere habens ad australem monumenti partem e regione respicientem, culmenque humile desuper eminentes fabricatum. In quo utique sepulcro duodecim lampades, juxta nomina duodecim sanctorum apostolorum, semper die ac nocte ardentes lucent: ex quibus quatuor in imo illius lectuli sepulcralis loco inferius positæ, aliæ vero bis quaternales super marginem ejus superius collocatæ, ad latus dextrum oleo nutriente præfulgent. Schematismum sepulcri Adamnianum in *Quaresmio* p. 585. conf. etiam *N. 1. & 4.* poteris videre. *Beda venerabilis* (qui anno 701.  $\chi\epsilon\sigma\sigma\omicron\upsilon\upsilon\epsilon\tau$  floruit) in c. 2. de locis sanctis relatio hæc est: *Ecclesia in medio monumentum Domini rotundum in petra excisum est, cujus culmen intrinsecum stans, homo manu contingere potest, ab oriente habens introitum, cui lapis ille maximus appositus est, quod intrinsecum sacramentum vestigia usque ad præsens ostendunt. Nam extrinsecum usque culminis summitatem totum marmore tectum est, summum vero culmen auro ornatum, auream magnam gestat crucem. In hujus ergo monumenti aquilonari parte sepulchrum Domini in eadem petra excisum longitudinis septem pedum, trium mensura palmorum parvimento altius eminet, introitum habens a latere meridiano: ubi die nocteque duodecim lampades ardent, quatuor intra sepulchrum, octo supra in margine dextro. Lapis qui ad ostium monumenti positus erat, nunc fissus est, cujus pars minor quadratum altare ante ostium nihilominus ejusdem monumenti stat, major vero in orientali ejusdem loco quadrangulum aliud altare sub tinteaminibus extat. In codice manuscripto Bavaricæ bibliothecæ (sub Bedæ venerabilis nomine eadem citantur, & additur a *Quaresm.* p. 589. Nunc tradunt ecclesiam ibi esse rotundam eximis*

eximii operis, criptici pariate distinctam, in cuius medio sit  
 monumentum: & hoc desoris marmorum crustis usque ad  
 summa culminis cœctum, ipsum vero culmen auro vestitum,  
 auream crucem gestat non modicam. S. Willibaldus, qui  
 anno 759. loca visitavit in hodopæret. hæcce de mo-  
 numento Christi reliquit: Est, ait, ibi ille hortus in quo  
 fuit sepulorum Servatoris. Illud sepulcrum fuerat in petra  
 excisum: & illa petra stat super terram, & est quadrans in  
 imo & in summo subtilis: & stat nunc in summitate illius  
 sepulcri crux, & ibi desuper nunc edificata est mirabilis do-  
 mus: & in orsentali plaga in illa petra sepulcri est janua, per  
 quam intrant homines in sepulcrum orare: & ibi est intus le-  
 ctus in quo corpus Domini jacebat, & ibi stant in lecto 15. cra-  
 teres aurci cum oleo ardente, die nocteque. Ille lectus in quo  
 corpus Domini jacebat, stat in latere aquilonis intus in petra  
 sepulcri: & homini est in dextra manu, quando intrat in  
 sepulcrum orare. Hæc ille. Seculo XI. A. 1007. alii 1009. ec-  
 clesia sanctissimæ tumbæ ab Hequen Calipha Aegyptio  
 est vastata & solo adæquata, v. Guilielmus Tyrius l. 1.  
 belli sacri c. 4. Non multo post obtinuit Romanus, im-  
 perator græcorum, cognomine Argytopulus, ut christia-  
 nis permitteretur, ecclesiam S. sepulcri & reliquas ite-  
 rum ædificare. Διδόχου ejus Constantinus IX. cui cogno-  
 men monomachi, christianis suppetias tulit pecuniarum,  
 quo factum, ut anno 1048. (51. annis ante expeditionem  
 cruciatam Bullionæam) ecclesia, monumentum S. Ser-  
 vatoris continens, iterum restauraretur. Tandem anno  
 1099. sub finem XI. seculi, ut habet Spanhemius introduct. hist.  
 p. 207. in expeditione cruce signatorum, facta sub duce  
 Gotofredo Bullionæo, (qui primus ex christianis mu-  
 ros Hierosolymorum conscendit) lenior christianos af-  
 flavit aura, factis magnis & cruentis Saracenorum, Per-  
 sarum, Turcarumque stragibus Bullionæus Hierosolyma  
 cepit

capit 1099. decima quinta Julii, hora diei nona, ea ipsa, prout observatum, hora, qua Dominus ac Salvator noster in eadem urbe extinctus, ut aliqui notarunt. Tunc fundatum Hierosolymorum regnum sub novem regibus per octoginta octo annos stetit. Per illa tempora, Tyrius scribit, christianos Palaestinae potitos domunculas, quibus ante loca sancta involverant infideles, destruendas curasse, & templum magnum elegans, quod omnia loca in se continet, extruxisse.

§. V. Seculo vero XII. per varias expeditiones, quas *Spanhemius p. 333. H. E. Introd. minor.* enarrat, minus fortunas & interna ducum dissidia, eo ventum, ut circa annum 1188. Hierosolyma caperentur a Saladino, Dei in oriente flagello, & omnes terrae in Saracenorum potestatem redigerentur. An veritati congruat, quod Saladinus Hierosolymam ingressus, cum alias ecclesias profanaverit, sepulcro Domini pepercerit, & reverentiam habuerit ejusdem, merito dubito. Nam hoc ex aliis auctoribus certum, quod quaestus gratia in veneratione illud sit habitum. Antoninus (quem citat *Quaresmius p. 518.*) ad annum Christi 1219. testatur, quod, cum Saraceni de sepulcro Domini glorioso destruendo consilium habuerint, & *Corradinus filius Saphadini Hierosolymam destruxerit, templum tamen Domini intactum servaverit & a sepulcro Domini nostri Jesu Christi scelestas manus continerit.* Causam sepulcri templique intacti, quam nonnulli afferunt, delatam tantisper christianae religioni venerationem, omittimus, potius credentes, Surianos, Aethiopes, Armenios, Georgianos & alios in Asia christianos, Hierosolymam incolentes, ne ea loca diruerentur, obtinuisse. Certum est, urbem sanctam a Turcis ab illis annis possideri; & nunquam potuisse fieri liberam, quamvis saepiuscule tentamen sit factum.

D

§. VI.

s. VI. Seculo XII. & XIII. cum ordo fratrum militiæ, (quem quidam ad Jacobum sanctum fratrem Domini, alii ad Constantinum M. alii ad Godofredum Bullionem referunt) floreret, sepulcrum dominicum frequentius est visitatum. Guilielmus de Baldensel, eques auratus Hierosolymitanus, anno Domini 1336. ad terram sanctam peregrinatus, hanc habet *ἡμνογραφία*: *In medio ecclesia sepulcri, & sub illius circulo parvula domuncula est, in quam propter porta demissionem, versus orientem intrare oportet corpore incurvato: supra vero testudinata est ad modum semicirculi opere musaico, auro & marmoribus decorata, nullam habens fenestram, candelis & lampade illustrata. In hujus domuncula parte dextra locus est dominice sepultura attingens extremitates predictæ case in longum, scilicet ab oriente versus occidentem: cujus longitudo novem communium palmarum est, latitudo vero tam monumenti, quam spatii ceteri ipsius domuncula, residuum in latitudine circa sex palmas communes utrobique se extendit: circa 12. palmas potest esse altitudo domuncula supradictæ. Et alibi idem testatur, quod loca crucifixionis & resurrectionis jam sint intra civitatem, cum olim extra civitatem fuerint. Super loca, ait, a christianis pulchra fabricata est ecclesia figura rotunda, obovo versus orientem in longum figura addita circulari: qua devotissima ecclesia plumbo cooperta, ad occidentem de fectis lapidibus pulcherrimam turrim habet: in summitate vero ipsa ecclesia cooperta est circulo magno patulo, existente cælestis luminis clarissimus receptivo. Idem Baldensel monumentum vetus & hodiernum non esse numero eadem probat primo ex eo, quod hodiernum compositum sit ex petris pluribus: secundo ex eo, quod locus ab infidelibus possessus, qui nihil omiserint, quod ad ruinam possit facere: tertio, quod, si quid remanserit, a fidelibus semper sit deportatum. Epitaphium monumento dominico re-*

co recentius additum, testante Quaresmio ex Appiano  
Mathematico Ingolstadiensi & Bartholomæo Poëta, hoc  
fuit:

*Vita mori voluit & in hoc tumulo requievit  
Mors quia victa fuit nostram victrix abolevit  
Nam qui confregit nigra inferna, ille subegit  
Educendo suos, cujus dux ipse cohortis  
Tartarus ingenuit, quin mors lugens spoliatur.*

Cujus epitaphii nullum extare hodie vestigium Quares-  
miius testis auctoritate testatur.

§. VII. Rudolphus Kircherus Westphalus, ab an-  
no 1336. usque ad annum 1350. in locis illis commoratus,  
apud *Erasmum Francisci in Theat. Curios.* parte prima p. 772.  
hæc ad monumentum pertinentia affert: In monte Cal-  
varia est sanctum sepulcrum, super sepulcro magnum & sum-  
tuosum est templum, variis picturis & musico opere orna-  
tum, templum simile est basilica, que est monasterii in West-  
phalia, imprimis choro ejusdem; ante chorum occidentem ver-  
sus parvula est capellula, tres habens turres, speciem præbe-  
re quasi tria altaria ibi olim extiterint. Ex hac capellula in-  
gressus in aliam per portam humilem & parvam, ita factam,  
ut flexo dorso ingredi debeas, & inibi sanctum sepulcrum. Ca-  
pellula fenestris caret, longitudo cum sepulcro novem palmos,  
latitudo septem. Sepulcrum in novo lapide excisum, qui ne a  
peregrinantibus macula officiatur, marmore albicante est te-  
ctum: anterior lapis tria habet antriola, per que verum sepul-  
cretum & verum lapidem basio excipere licet. Ad monu-  
menti ostium hi versus insculpti leguntur:

*Anno millesimo centesimo quo minus uno  
Quindecies Nilo jam phabi lumine tacto  
Vita plus sacra studio, quam milite arte  
Hierusalem Franci capiunt virtute potenti.*

Monumento insculpti sunt sequentes:

D 2

Mor.

*Mortuus hic jacuit mortem dum morte peremit  
Hic leo dormiuit, qui pervigil omnia trivit.*  
Ostio monumenti hi inculpti leguntur.

*Aspice plasma meum, qui transis ante sepulcrum  
Quo triduo jacui cum pro te passus obivi  
Et Behemoth dirum contrivi cum pede plexum  
Vellibus & terti contractus prorsus Averni,  
Abtulit inde suos secum super astra locatos.*

Hos versus Polyhistor ille celebris vernacula  
donat p. 774. *Curios. Theat.*

§. XIX. Bernhardus Bredenbachius, qui loca sancta visitavi anno clocccc LXXXIII. narrat: quod in medio templi superfructu sui petra excisa, quadrata, octo pedes alta, sedecim pedes longa, octo pedes lata, marmore candido exterius obducto. Fersus orcum janua, ait, per quam si quis in petram illam excisam ingrediatur, inveniri parietem in duas aequales partes dividens, in hoc pariete esse aliud quoddam ostiolum, per quod in posticam petra partem ingressus pateat, in hac ad dextram versus septentrionem ostendi in pariete cavernam, ex marmore coloris gypsi excisam, trium manuum altitudine, octo pedum longitudine, pendentibus in sublimi faculis perpetuo igne lucentibus. Facultas sive lychnos pensiles, ante nominatus Kircherus p. 773. *Er. Fr. Curios. Theatr.* adesse negat. Georgianus (qui ut *Corovici* p. 108. ait, a Romana ecclesia non ita abhorrent, ut Græci, in rebus tamen fidei sacrisque ceremoniis ac ritibus, Græcorum consuetudines observant) veterem monumenti custodientes clavem, lampadam alere in suis sacris, dicit. Ita variant pro varia ætate *μνημειον παλαιον*. Joannes qui dicitur comes Solmensis anno 1483. in equitem Hierosolymitanum inauguratus, *μνημειον παλαιον* hanc habet: *Monumentum*, ait, est sub caelo patulum. Capellula dominici sepulchri longitudo octo & latitudine octo pedes habet, extrinsecum marmore recta.

recta, intrinsecus petra immutata a tempore Christi. In capellulam ostium ducit ab oriente humile & parvum: & ingreditur, a dextra monumentum versus parietem erga septentrionem est, e marmore subfusci coloris, cujus altitudo trium pedum, a solo, octo pedes longum, ut intrinsecus capella lucis nil ab extra habeat; novem lampades monumentum clarius reddunt. Ante capellam hanc, alia eisdem cum longitudinis, cum latitudinis per parietem integrum ab anteriori distinctam. Varias prosequitur ibi descriptiones, fabellarum elegantiorum plenas huc & usque superfluas.

§. IX. Anno M. D. LV. ruinam minatum est sepulcrum, & cum jam collapsum esset, præcepit Julius Papa tertius (quem ad hanc rem perficiendam æterni nominis ac perpetuæ memoriæ Carolus V. Romanorum imperator, nec non Philippus filius ejus inclutus precibus pulsarunt) Bonifacio Stephano Stagni Raccusini episcopo, id temporis conventus sancti Francisci de observantia Hierosolymis præfectum apostolica auctoritate agenti, ut refici restaurarique curaret. Idem Franciscus Varga Cæsareæ majestatis tunc apud Venetos orator, non minori studio urgebat. Ita Solimanni Othmani Turcarum regis prius ad id facta copia, opus aggressi sunt, ubi structura diruta, sanctissimi domini sepulcrum in petra excisum oculis eorum sese videndum præbuit, in quo duo angeli depicti superpositi visi sunt; quorum alter scripto monstrabat has voces: *surrexit non est hic*; alter sepulcrum digito notante: *Eccelocum ubi posuerunt eum*: quorum imagines, ubi primam vim æris senserunt, magna ex parte dissolutæ sunt. Cum lamina una alabastrina ex iis, quibus sepulcrum operiebatur, & quas Helena ibi locasse dicitur, ut super iis missæ mysterium celebraretur, necessitate commovenda fuisset, apparuit locus ille ineffa-

ineffabilis, in quo filius hominis quievit. In medio S. loci lignum reperuat collocatum, ac sudario pretioso involutum; quod postquam osculati fuerunt, & quam primum aëri expositum fuit, in pulverem abiit inter manus. *Erasmus* Francisci hæc refert in *Theat. Curios. paræ prima* p. 782. 783. Conf. *Scheidelizius* vir nobilis, qui anno 1556. mense Julio ad terram sanctam peregrinatus, in itineralio meminit monumenti & paulo post rituum, ceremoniarum & mirabilium cantionum, quæ a christianis, monachis, montis Sion, ordinis Franciscani, Grecis, Armeniis, Georgianis, Lusitanis, Bassinis, Jacobitis, Nestorianis decantantur.

§. X. Salomo *Sveigerus*, anno 1581. in terram peregrinatus sanctam, hæc habet in itineris Constantinopolitani & Hierosolymitani descriptione p. 297. 298. 299. Inter duo sacella monumentum Christi in medio. In quod per anterius ædificium sit ingressus, Monumentum in petra octo pedes longum, latum, altum. Meminit etiam *Sveigerus* ex marmore factæ ciflæ unam ulnam altæ & latæ, quam quidam habeant pro ipso monumento, additis simul fatis tribus sub *Vespasiano*, aliisque circa annum 1246. Porro refert, quod idem monumentum anno Christi 1226. (cum Italia terræ motibus concuteretur) aliquot ulnas in terram descenderit, monachos vero, ut aliqui volunt, aliud sepulcrum tunc excidisse. Monumentum præsens fictitium sanctuarium nihilominus esse pernegat, ex eo capite, quod sine timore & tremore a nemine (*Tros Rutilusve*, christianus sive turca fuerit) possit aspici, cum ipsi vox faucibus ingresso hæserit, comæque steterint. Id quod emunctorum narium homines melius splendori lampadum, nigricantibus parietibus, & concussioni vehementi & inopinatæ, quæ sit per



per lampades, variasque picturas in cerebro, adscribunt.

S. XI. *Adrichomius* Delphus, testis non ~~avertens~~, theatrum terræ sanctæ suum, ut fatetur in præfamine ex Josepho, Hieronymo, Egesippo, Plinio, Ptolomæo, Strabone, Brocardo, Breidenbachio, Saligniaco, qui partim terram inhabitaverunt, partim visiterunt, congestit & p. 175. tradit: monumentum octo pedes longum esse; Christum capite occidentem versus esse sepultum, unde mos sepeliendi, capite occidentem versus directo, christianis a suo Christo remanserit. Præter hæc p. 175. nil habet memoratu dignum. *Jo. vero Corovicus* Ultrajectinus anno dñi 1598. quarto nonarum sextilium, die tum dominico Venetiis discessit in terram sanctam, & rediit Venetias anno sequenti, mensis Majo. & ab hoc habemus conscriptum itinerarium, lectu jucundissimum & dignissimum, quod prodit Antwerpæ M. D. C. XIX. Ille, postquam ecclesiam S. sepulchri p. 154. montem Calvariæ p. 165. sacellum montis Calvariæ, ubi Christus pependit in cruce, & sacellum montis Calvariæ, ubi cruce affixus est p. 166. aliæque exsculpta oculis fidelium submiserat, hæc ad monumentum pertinentia p. 180. tradit. Sacellum, ait, sacri dominici antri rupem continens, forma est oblonga pentagona, cujus exterior pars marmoreis vestita tabulis, cymatio, coronicibus, zophoris, epistylis, decemque est ornata columnis hexagonis. Torum autem ædificium (vid. in schemate N. 3. A. B. C.) cui imposita est cuba seu fornix (lit. A.) in duas est divisum cellulas: prior quæ orientem respicit vulgo anticapella dicitur, (vid. N. 3. C.) quæ occidentem respicit, sacrum continet monumentum, & proprie antrum seu sepulchrum Domini appellatur (vid. N. 3. B.) Vtrumque subdiali tectum pavimento, quod a solo majoris ecclesiæ eminet & assurgit ad pedes

pedes circiter quatuordecim: cui ornamenti gratia impositum est testudineum opus, tecto plumbeo, duodenis sustentatum columellis porphyreticis, symmetriæ Corinthiæ. In ipso vero pavimento subdiali (ne aqua decedens & consistens sepulcrum Domini vitiet) canaliculæ incisæ sunt, per quas aqua ad inferiora defluit. Interiora latera antri concava, candido pariter marmore obducta, vivæ rupis excavationem obtegunt. Fornix autem lampadum fumo (quarum numero quinquaginta interdum noctuq; christianorum sumtibus accenduntur) adeo obscuratus est, ut utrum ipse rupes sit, an calx, vel obductum marmor, discerni nequeat. Concavum ipsum (vid. N. 4. D.) longitudine pedes octo, latitudine septem, totidemque altitudine complectitur: majorem partem altare marmoreum (vid. lit. E.) occupat: id vero locum, quo Christi corpus jacuit sepultum, capite ad occidentem verso, oclusum continet, atque ingredientibus a dextris est, ad septentrionale facelli latus, latum pedes quatuor, altum tres, longitudine antrum æquans (conf. N. i. F.) cui super imposita est picta vetusti operis tabula, resurrectionem Domini referens. Locus ante altare vacuus tres in latitudine pedes continet, ac tam spatiosus est, ut homines quatuor ordine stantes commode capiat. Supra sacrum monumentum Minoritæ divina mysteria celebrant; quod & aliis sacerdotibus catholicis permissum est, cæteris non item. Christiani siquidem orientales reliqui precandi causa tantum locum celebrant: singuli tamen altare ipsum seu sacrum Christi ramulum thure quotidie adolent, & certas lampadas alunt. Antri ostiolum orientem respicit, cujus postes & liminae Leucophæo sunt marmore, altitudine pedum trium, latitudine palmorum septem; ut nisi curvato in ventrem capite ingredi nequeas. Ex quo

quo facile secundum eundem colligitur sepulcri forma: non enim instar quadratæ est tumbæ, sed in ipsius antri septentrionali latere excisum, & qua meridiem spectat, & Christi corpus illatum est, apertum, ut per antri ostiolum introsipientes locum quo Christi corpus jacuerat ejusque sudarium & linteamina, videre poterint. Ante ostiolum sacratissimi antri, pavimento antisfacelli affixus jacet lapis ille, (vid. N. 4. G. & N. 5. G.) cui angelus insidebat amictu candido Matth. XXVIII. 3. 4. 5. Is sesquipedem per quadrum continet, & lapidem (scriptura teste magnum valde) ostio monumenti ad volutum fulciebat, atque superesse dicitur in domo Caiphæ. Antisfacellum foris formam refert quadratum, intus tamen, quo antro dominici sepulcri jungitur, (vid. N. 4. H.) in rotunditatem definit. (vid. N. 5.) Pavimentum marmore stratum, ac latera pariter marmore incrustata sunt. Duas utrinque continet fenestellas, quibus illustratur. Ostium ad orientem spectat, estque non nihil altius ampliusque ostiolo antri sepulcri. In hoc sacello lampades XII. ardentes ex fornice pendent. Dextrum antisfacelli exterius latus, qua septentrionem ad spectat, decidentibus marmoreis tabulis, quibus paries regitur, ruinam tunc minabatur. Et ita quidem se habet monumentum illud a Cotovico descriptum, cui non absumile (si sacellum antro præfixum excipias) esse videtur, illud quod Augustæ Vindelicorum in templo S. Anæ prope chorum visitur, ad imitationem sepulcri Hierosolymitani exstructum. Exteriorem hujus faciem exhibemus in schemate N. II. & interiorem ejusdem conspectum N. I. qui sistit ipsius sepulcri longitudinem, latitudinem lit. F. F. & aream, (lit. I.) in qua turba comitantium stare poterat. Conditores hujus monumenti sub hac ipsâ structura sibi elegerunt dormito-

mitorium cameratum, pia certe intentione. Gortitii simile aliquod observari sepulcrum, eruditis constare puto.

§. XII. Sed relicta Germania Hierosolyam redimus. Ibi Minoritæ, qui per multa jam secula sedes fixas Hierosolyms habuerunt, peregrinos adventantes recipiunt benigne, adhibitis quibusdam ceremoniis, quas recenset Cotovicus l. c. p. 151. sqq. His peractis Guardianus brevem de dignitate locorum, Christi sanguine adpersorum (vid. idem l. c. p. 152. & 157.) pro cujuscunque loci reverentia habet exhortatiunculam: Teri siquidem a peregrinorum pedibus ea loco, quæ vel Christi sanguine adpersa, vel gloriosa ejus resurrectione essent illustrata, vel presentia angelica nobilitata, aut matris Domini, apostolorum & sanctarum mulierum frequenti visitatione decorata, totque piorum christianorum & sanctorum hominum osculis & lacrymis irrigata: Ideoque debere peregrinos se reputare indignos, qui ad loca sanctissima admitterentur. Dein impetrata ab urbis præfecto venia intrandi sepulcrum, solutisque prius solitis vectigalibus (quæ sequentia sunt: Pro urbis introitu duo cechini Veneti: pro ingressu sepulcri dominici cechini novem: semicechinus pro saccharo, ut ajunt, officialium: sesquicechinus pro cereis, in processionibus ac locorum visitatione incendi solitis) abbaslicam dominici sepulcri tendunt Minoritæ cum peregrinis, in eaque his plurima monstrant inter preces, hymnos, supplicationesque. Vid. laudarus autor p. 137. seq. Ad sacrum vero dominicum monumentum cum veniturante ostium genibus flexis sacrum Christi thalamum omnes foris salutant: mox circumeunt, a latere incipientes dextro: iterant tertio, dumque progrediuntur, sequentem psallunt hymnum Minoritæ, cujus primum jam versum frontispicio disputationis meæ insinuavi:

*Ad*

Ad locum jam sanctissimum  
 Sepulchri Christi corporis  
 Eamus totis mentibus  
 Quarentes Jesum laudibus,  
 Ad locum tam amabilem  
 Cunctis Christi fidelibus  
 Pergamus jam cum jubilo  
 Feruore moti spiritus.  
 Ecce Joseph decurso  
 Arimathæ nomine  
 Qui Christi corpus unxerat  
 Cujus eras discipulus.  
 Et Nicodemus pariter  
 Cum sanctis quoque aliis  
 Tulerunt hoc in proprium  
 Sepulchrum pleni lacrymis.  
 In hoc excessu lapide  
 In quo nunquam quis fuerat,  
 Perunctum ponunt mortuum  
 Corpus Christi sanctissimum  
 Tunc currunt duo pariter  
 Ad gloriosam tumulum;  
 Sed praecurrunt citius  
 Joannes Petro junior.  
 Joannes tamen ingredi  
 Non vult pro reverentia  
 Pastoris jam ecclesia,  
 Intus tantum prospiciens.  
 Tunc vidit linteamina,  
 Quibus cum aromatibus  
 Corpus Jesu ligaverant,  
 Sacratumque sudarium.  
 Jesum tamen non viderat,  
 Qui jam liber a mortuis  
 Fuit, peracto tempore  
 Dierum trium spatii.  
 Jam anima sanctissima  
 Ad inferos descenderat,  
 Ut lumen daret mortuis,  
 Ad caelosque perduceret.

Contrivit portas aereas  
 Ligavitque Luciferum  
 In panis his perpetuum,  
 Sua virtute propria.  
 Sic ergo tulit animas,  
 Atque sanctorum corpora,  
 Qua resurgentes pariter  
 Conduxit ad caelestia  
 Vinitur post hac anima  
 Sacrato Christi corpori,  
 Cum in utroque fuerit  
 Excelsemet divinitas.  
 Resurgit tunc in gloria  
 Passurus nunquam amplius,  
 Sed vita beatissima  
 Versurus est perpetua.  
 Resumpsit Jesus omnia,  
 Qua patiens amiserat,  
 Et sanguinem, et alia  
 Ad unionem corporis.  
 Revolvit tunc ab ostio  
 Sepulchri hujus lapidem  
 (Vt legitur) hic angelus  
 Ad resurgens gloriam.  
 Fit terra motus maximus,  
 Quo perirentur milites  
 Ruunt terrore homines  
 In terram velut mortui.  
 O divina potentia,  
 O summa sapientia,  
 Qui post tormenta talia  
 Resurgit tanta gloria.  
 Surgunt mane mulieres,  
 Cum super terram tenebra  
 Essent adhuc, sed anxia  
 Cujus erant discipula.  
 Pergunt in prima sabbatha  
 Aromatum huc copiam  
 Portantes, his ut ungerent  
 Corpus Jesu sanctissimum.

Tunc Jesum non inveniunt,  
Sed vident solos angelos  
In albis hic sedentesque,  
Qui dicunt ipsum verere.  
Ex his ergo miraculis,  
Ac tantis hu prodigiis,  
Pergunt huc gentes omnium  
Regnorum, atque partium.  
Ad hunc currunt ex partibus  
Mundi totius homines,  
Ac etiam mulieres  
Omnes amare anxii.  
Ex orientis partibus,  
Ex Aquilonis montibus  
Meridiei plagisque,  
Et ab occasus omnibus.  
Festinant Parthi, Medique,  
Sic Elamita properant,  
Atque Mesopotamii,  
Simul & Cappadocii.

Ex Pontique provincia.  
A regione Lybia,  
A Phrygiaque populi  
Omnes amore properant.  
Gentes sic ex Pamphilia,  
Et ex Aegypti partibus,  
Atque totius Asiae,  
Ad locum hunc perveniunt.  
Pergunt Romani advena,  
Omnes fervore calidi,  
Ob Christi reverentiam,  
Ac matris suae virginis.  
Agamus ergo gratiae  
Simul cum his omnibus  
Vi suam ob victoriam  
Donet & nobis veniam.  
Gloria tibi Domine  
Pro tantis donis gratia  
Quibus ditasti animas,  
Qua tuam solunt gratiam. Amen.

Hymno completo, Guardianus & peregrini relictis ante ostiolum calceis, sacellum (antieapellam vulgo dictam) sacro monumento contiguum introeunt, ibidemque precibus Deo Salvatori porrectis, lapidem mox ante monumenti ostiolum solo affixum; & angeli post Christi resurrectionem sessione notabilem, exosculantur; dein sacrum accedunt sepulcri dominici antrum; ubi contemplantes mysteria ibidem a Deo Salvatore peracta, orationibus aliquantulum vacant, Minoritis interrim concinentibus sequentia:

Antiph. *Quem totus mundus capere nequiverat, hic uno saxo clausus fuit, atq. morte jam peremta inferni claustra penetravit.*  
Vers. *Surrexit Dominus de hoc sepulcro. Alleluja,*

Resp. *Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluja*

Guardianus dein Christum Salvatorem sequenti affatur oratione: *Domine Jesu Christe, qui in hora diei vespertina,*  
de

de cruce depositus, in brachiis dulcissima matris tuae (ut pie creditur) reclinatus fuisti, horaque ultima in hoc sacratissimo monumento corpus tuum exanime contulisti: & die terrena mortalitate deposita gloriosus exinde resurrexisti, angelos quidem ejus resurrectionis testes apparere jussisti: tribue quaesumus, ut nos & omnes quos in orationem commendati suscepimus, qui de tua passione & morte memoriam facimus, resurrectionis tuae gloriam consequamur: Qui vivis &c. Oratione dicta singuli summo cum silentio preces aliquantisper continuant, lacrymis locum rigant, gemitibus atque osculis Salvatoris nostri thalamum, ac sanctissimum sepulcrum (quod gloriosum fore praedixit Jesais) honorant & venerantur. Sacro demum monumento egressi, ad reliqua aspicienda pergunt. Nos haec relinquimus, ad tuum L. B. provocantes judicium, anne admirationem mereatur, quod tot gentes diversae religionis unum Deum in loco sancto adorent, & hoc inter medios christiani nominis hostes. Quid quod ipsi Turcae & Muhammedani (quialias ad sepulcrum Muhammedis sui pseudoprophetae genua flectunt vid. c. XXXVI. Itin. Joh. Wildii) sepulcrum hoc magnificiunt & omnes orientis christicolae, Graeci, Georgiani, (qui sepulcri Christi honorandi gratia Hierosolymam veniunt, magno comitatu instar belligerantium vid. Cotov. p. 201.) Maronitae (catholicam profitentes fidem, homines indultissimi, caeterum inopes & tenues, montem Libanum inhabitantes, multas retinentes antiquas ecclesiae orientalis consuetudines Cotov. p. 196.) Jacobitae, Nestoriani, Suriani unum Deum in hoc sacratissimo dominico monumento adorant.

§. XIII. *Quaresimus*, de quo in frontispicio disputationis dictum est, *historicam, theologicam & moralem terra sancta elucidationem in Tomo II. divisa* edidit, opus vastum, quod anno M. D. C. XV.

inchoatum, anno M. D. C. XXIV. absolutum, approbatum anno Domini M. D. C. XXXIV. imprimi coeptum, & tandem M. D. C. XXXIX. in lucem productum, in quo fusissime omnia pertractavit. Ea vero quæ ad monumentum hoc pertinent Tomo II. lib. V. Per. II. Cap. IX. X. & reliq. exposuit. Multis quidem lectorem nutrit fabulis, multis vero utilibus & scopo inservientibus eundem reficit. Is per plures annos in terra sancta conversatus p. 576. tradit Ignographiam templi resurrectionis Domini, tres particulares ecclesias eodem muro comprehensas, continentis, primam sepulcri Domini, secundam Calvariæ montis, tertiam S. crucis. Ideam sacelli crucifixionis Domini, & exaltationis in cruce, Ichnographiam sanctissimi montis Calvariæ p. 463. oculis conspiciendas dat. Et cap. XII. Per. II. lib. V. p. 509. est, ait, hoc sacratissimum antrum, divinum monumentum, in medio magnæ rotundæ ecclesiæ dominicæ resurrectionis circa ipsum ædificatæ; ecclesia sepulcri ex parte pervia est, qua respicit sepulcrum, unde tota illuminatur, & sacrum tumulum sub dio & aperto cælo relinquit. Deinde hoc monumentum in sacellum conversum, in duas capellulas distinctum: quarum prior a posteriori sola sepulcri rupe sejungitur, in qua non est duplex ostium, ut quidam hallucinati dixerunt, sed unicum, ad quod fuit magnus advolutus lapis; cui tamen e regione responderet prioris capellulæ aliud ostium. Prior capellula est posteriori paulo major, possuntque in eadem partes assignari; prima, quæ proxima est ostio monumenti, estque in modum fornicis & dimidiati circuli formæ: secunda, quæ hanc immediate sequitur, est formæ quadratæ. In prima parte, est petra sive rupes, ex ipso pavimento prominens quadratæ formæ: ejus longitudo inferius est palm. 2. lati-



Latitudo palm. 2. unc. 1. superius est palm. 1. unc. 9. altitudo palm. 1. Hæc rupes petra angeli vocatur, & nomenclaturam capellæ angeli, accipit. Est in hujus capellulæ pariete parvum sacrarium, in quo aliqua sacra promissa celebranda supra sanctissimum Domini sepulcrum asservantur. Altera posterior capellula est alteri contigua, quæ continet divinum reparatoris nostri sepulcrum, solo inhærens in modum arcæ; in quo exanime quidem illius corpus repositum fuit, sed inde, morte devicta, tertia die vivificatum & gloriosum exivit. Operitur marmoreis tabulis cinerei coloris, quemadmodum & totum exterius sacellum, excepto sarcophago, in quo fuit sacrum corpus immediate conditum, qui albis opertus fuit a P. Bonifacio, cum sacri montis Sion Guardianus esset, sub Paulo IVto pontifice maximo & imperatore Carolo Vto. Locus est adinstar arcæ, cujus amplitudo humanum corpus commode capere potest. Supra ipsum, ut altare, missæ a Minoritis celebrari solent. Sepulcrum ergo non est elevata aliqua rupes e pavimento, quales sepulcrorum formæ ibi videntur, sed instar arcæ vacuæ. Et tale D. Petronium urbis Bononiæ, antiquissimæ & celebratissimæ Italiæ civitatis, episcopum ante Bedæ tempora circa annum 432., ut erat antiquitus, construxisse refert Quaresmius, & hoc ipsum in vetusta nobiliq; D. Stephani ecclesia inibi invisit addit. Sepulcri & capellulæ posteriores longitudo est, palm. 7. unc. 5. cum dimidia, latitudo sepulcri est palm. 3. & 6. unc. residuum vacui capellulæ est palm. 3. & 2. unc. & ita tota latitudo est palm. 6. unc. 8. altitudo arcæ palm. 2. unc. 10. Hæc ille

§. XIV. Franciscus Ferdinandus de Troilo ex Lusatia oriundus superiori eques sancti sepulcri, anno reparatæ salutis clo loc LXVI. ad terram sanctam est peregrinatus, in reditu, a piratis delatus captivus

vus Algerum, bis venditus, & redeunte in circulum anno clō loc LXIX. redemptus, edidit itinerarium, ex quo, quia fere omnia cum autorum hucusque adductorum recensionibus conveniunt, id saltem de sacello addimus: daß denn aber dieses (nemlich die capelle) Theil / dem andern natürlichen durch Kunst sey angebauet worden / erkennet man leichtlichen aus dem obengeschlossenen Gewölbe / denn das nechste Theil am heiligen Grabe ist halb Circulrund / aus dem rechten ganzen Felsen gehauen / und das andere ist nur von gebrandten Steinen / und zwar auch nicht so hoch wie das andere / sondern etwas niedriger gemacht. *Λιδος παπίας* tradit ibi uberius p. 211. 212. Conf. Itinerarium viri generosi Georgii Christophori de Neitschütz p. 332. Ostium claudat omnium, quos ego novi, novissimum Itinerariorum exhibitor O. Dapperus, qui vernacula a Joanne Christophoro Beerio editus M. DC. LXXXI. meminit in præfamine Asiæ, Itinerariorum conscriptorum, Joannis Cotovici, Zallardi, Sandisii, Fulleri, Eugenii, Rogeri, Surii, Doubdanii, Thevenotii, Quaresmii, Bocharti, Heidmanni Gonzalesii, Joannisque Ligtfooti. Is describit p. 305, oculisq; conspiciendum præbet templum S. sepulcri, p. 309. petram unctionis. S. Joannis & Adami capellulas, divisionis vestium, imperatricis Helenæ, Longini, apparitionis, & iterum p. 316. Helenæ capellam, Improperii, capellam crucifixionis Domini p. 317. & p. 321. Ex huc usque allatis *Λιδος παπίας* videbis B. L. quæ qualis & quanta facies hujus monumenti per tot secula fuerit. Opus esse antiquum non dubitamus, licet temporis successu multa per artem ei sint addita, ut sæpe necessum habeas quærere sepulcrum in ipso sepulcro. Neque iis pollicem possumus premere omnibus, quæ de monumento hocce ex auctoribus retulimus, cum alii sint *ἀντίγραφα*, alii non, alii cursum & obiter, alii accuratius tumbam hanc aspexerint.

CAP.

## SECTIO I.

SISTENS PORISMATA QVAEDAM  
THEORETICA.

## §. I.

## DIDASCALICVM

## REQVIES MESSIAE FVIT GLORIOSA.

**V**ocem מָשִׁיחַ ap. Esa. XI. 10. vulgatus per sepulcrum vertit. Hieronymus & patres reliqui hoc illustre vaticinium de Messiae sepultura intellexerunt, quorum vestigia optime legunt theologi nostri, quos inter Gerhardus tanquam coryphaeus in *harmonie Tomo II. cap. CCV. p. 289.* potest reliqui; licet alii cum *Seb. Schmidio in comment. super Esaiam p. 131.* מָשִׁיחַ de inhabitatione Christi in fidelibus interpretentur. Requies Christi ex multis capitibus fuit gloriosa, quorum nos jam saltem praecipua prosequemur, (I) fuit *gloriosa ex loco antecedentium.* Oculus enim ipse mundi vestibus quasi lugubribus investitur & obscuratur, terramotu quasi plorat mortem sui creatoris, schismata *וְהַנְּתִיבֵי הַיָּם* & *וְהַנְּתִיבֵי הַיָּבֵשׁ* contestantur, quam pretiosa sit mors sancti hujus servi, multos secundum *Es. LIII. v. 11.* justificantis; monumenta publica, quae aperiuntur, faciunt testatum, quod Dominus benedixerit monumento suo, monumentis fidelium. Ipse centurio, cum infidelibus jugum antehabens, Christum, filium esse Dei, testatur; turba mulierum cruci adstantium, praesentia sua mortem sponi sui sanguinem luget, & summopere deslet. Taceo nunc, tum quod tempore solis lumine orbati, Dionysius dixisse: *aut Deus natura patitur, aut mundi machina dissol-*

vetur; tum quod nauta quidam tempore Tiberii circa tempus pomeridianum vocem audivisse feratur, qua jussu sic dicere: ὁ μὲν ἄνθρωπος ἠδύναται. Gloriosa est requies Messie (II) *extyporum variorum impletione.* Typidi viduntur a *Glasio* Ph. S. p. 209. 210. in *innatos*, qui in scripturis ipsis expresse adduntur, & in *illatos*, qui ab interpretibus inferuntur. Cum quoad typos *innatos*, tum quoad *illatos*, est gloriosa requies Domini. *Innatum Glasius* l. c. hunc habet: quod sicut Jonas propheta a ceto absorptus Jon. II. v. 1. tertia die e ventre ejus proruperit, sic Christus triduo mortis sepulchro illatus, postea gloriose revixerit, quam applicationem ipse salvator Matth. XII. v. 40. facit. Typorum *illatorum* plurima sunt exempla, e. g. Josephus a fratribus in foveam dejectus Gen. XXXVII. hortus sepulturæ Abrahamiticæ Gen. XXIII. cinis holocausti exportatus extra castra in locum purum Lev. VI. v. 11. sunt typi illati; sic enim & Christus in fovea conspicitur, sic hortus præbet locum sepulturæ, sic cinis exportatus denotat Jesum, extra urbem in monte Golgothæo passum & mortuum, & illatum monumento novo. Talia permulta exempla assiduo S. literarum scrutatori plura occurrent. *Glasius* l. c. dividit typum *illatum*, vel in *oblatum*, vel *extortum* & *consortium*, inque posteriori, nempe *extortio*, pontificios nimium occupatos esse dicit. Solum hac vice *Quarasmus* c. XXI. eluc. 1. s. lib. V. p. 555. in medium produco, comparantem sepulcrum cum utero purissimæ virginis Mariæ, empyreo cœlo, & terrestri paradiso &c. Requies Domini gloriosa est (III) *ex sepulchri auctore & funerum curatorem.* Erant hi duumviri, alter ex synedrio, alter ex senatu Hierosolymitano, vid. *Bynæus in Christo crucifixo* p. 290. ab illis lavatur, ungitur, cingitur Christi corpus, & tumbe inferitur, at quantus honor! quanta gloria! a senatore synedrii magni, & senatore urbis Hierosolymitanæ.

tanæ, qui regibus & principibus pares sunt habiti, sepeliri? Si regis & principis funus inde æstimatur, quod curetur & portetur a viris generosis & nobilibus, certe & nostrum funus æstimium fortitur, curatum a Nicodemo & Josepho, flore populi. Gloriosa (IV.) requies ratione modi sepultura. Constitit is (1.) in unctura & conditura (2.) in involuione sindonis. Vtrumque Græci *ἐνταφίσιον* appellant, quod verbum a LXX. interpretibus adhibetur Gen. L. v. 2. ubi in hebraico est *וַיִּטְוֶה* i. e. condire. Ab Aegyptiis ad Judæos ritum condituræ derivatum esse vero simile videtur. Triplex apud Aegyptios erat pollincturæ mos. *Primus*, in quo argenti talentum infumebatur, cum myrrham puram, casiam, & alia, excepto thure, una cum vino Phœnicco adhibebant ad condituram. *Secundus* minoris erat sumtus, minarum scilicet viginti, isque mediocrium, qui nitro utebantur, quod carnes tabefacit, & unguine cedrino. *Tertius* mos minimi sumtus, qui infimorum e plebe, abluitionibus tantum constabat, & exsiccatione, vid. *Alex. ab Alexandro lib. VI. c. XIV. fol. 352.* Aegyptii condiebant intus corpora exenterata, crebro insuper per nares extracto, Judæi vero, qui more recentiori (ut *Quaresmius, libro V. c. XVII. peregr. secunda §. 2. p. 326.* tradit) condiebant, unguenta & aromata exterius applicabant. Et *Alex. ab Alexandro c. II. lib. III. f. 114.* testatur, cadavera myrrha, aloë, cedro, melle, sale, cera, bitumine & resina condita esse. Evangelista duarum tantum specierum, quæ erant preciosiores & præstantiores, meminit. Et tali modo unctum est S. corpus Christi, qui honor præstantioribus contingebat. *Modus involuionis* potro gloriosus, cum *sindus, sindon, sindon* Jesu applicata fuerint. *Sindon*, uti potissimæ & præstantissimæ partis qua corpus a collo ad pedes involuebatur, meminerunt tres priores evange-

listæ: Luc. XXIV. & Joh. c. XIX. ἰδούτων & οὐδ' αὖτις mentionem fecerunt. Σὺ δ' ἀπίος ad caput pertinebat vid. *Bynæus* p. 813. & in primis p. 814. ἰδόνια & νεπίας (quarum mentio apud Joh. XI. v. 43. in simili fit actu) tanquam synonyma Bynæus accipit, & vocat institas (*Wickelschnüre*) hisce οὐδ' ὄν linum πολυτελέστατον firmabatur. Grande lin-teum a Josepho emtum, & in multas scissum fascias interpretes apud *Bynæum* p. 805. conjiunt, quibus corpus tale involutum: Idem *Bynæus* p. 806. p. 809. & p. 810. ex moneta Antonini Pii & Cornelie Salonice Augustæ, & *Quaresmius* c. 4. lib. IV. p. 328. visu dignum, involutum hoc modo Lazari corpus, pagina vero 529. ipsum corpus Servatoris oculis exhibent. Reges & principes ita involuebantur, & ita princeps vitæ, Servator noster involutus est. An porro gloriosa ex multis peregrinationibus, quæ illuc instituuntur, item an gloriosa respectu equitum, qui ibi creantur, uti volunt Cotovicus & *Quaresmius* in itinerariis suis passim, nunc non urgeo, cum gloriam sepulturæ superius adductu momenta, satis superque indicent. Alia Porismata, de vera morte Jesu, de providentia Dei mira, de sepultura ultimo termino exinanitionis, quæ ex μνημῶν παρ' αὐτῶν sanctorum amanuensium sufficienter probari possunt, addere, chartæ nunc angustie non permittunt.

s. II.

## ELENCHTICVM

Contra Judæos & Mahumedanos. His enim insultare possumus, & exsultandi rationem sumere. Mendaces mendacii convincimus, fidei sacra fundamenta jacimus & libere dicimus, aut sepultum nobis Salvatorem reddant, aut redivivum nobiscum adorent. Mahumedani, qui ex tot seculis sacrum hoc monumentum possident, testari debent, monumentum esse vacuum  
si ve

si vero est vacuum, tumis, qui ibi aliquando jacuit, resurrexit, si resurrexit non vi humana, sed vi divina, est verus Deus. Istos Judæos convincimus ex collatione prophetiarum, apud Jes. XI. 10. Ec. LIII. 9. & Dan. LXX. hebdomadibus, Dan. IX. 24. quæ, ut chronologi testantur, in morte Christi sunt impletæ, quia in monumento dominico peccatum est obsignatum.

## SECTIO II. SISTENS PORISMATA QVAEDAM PRACTICA

S. I.

### EPANORTHOTICVM.

**A**sterreamur monumento Servatoris ab omnibus proæreticis, manifestis, occultis, cordis, oris, operis, clamantibus & non clamantibus peccatis, quæ Christo passionem, mortem, sepulturam, statum exinanitionis humillimæ pepererunt, ne crucifigamus & prostituamus, secundum Hebr. VI. 6. peccatis voluntariis, Christum. Fugiamus omnem inhumanitatem erga demortuos, maxime pios & domesticos fidei, fugiamus omnem pompam funebrem, & luxum in vestiendo mortuos, & auditores nostros a pompa funebri omni dehortemur, sindoni sive linteo secundum ritum sepulchralem Christi involvi curemus nostra corpora, in Euchinæ Grab / daint schab ab.

S. II.

### PORISMA PAEDEVICVM.

Fidem nostram in Christum mortuum, sepultum, & resuscitatum extensam habeamus, quia morte, sepultura resurrectione Christi, fides firmatur, id quod ex concionibus Petrinis Act. c. II. III. IV. V. XIII. elucet, quarum conclu-

conclusio semper contra Judæos hæc erat: Christus est mortuus, sepultus & resuscitatus ex mortuis. Paulus ipse summopere hoc urget in illis ad Rom. c. VI. & I. Cor. XV. epistolis. Naturam fidei, per caritatem efficacis, ex Josepho, funeris dominici curatore, perspicimus; illa nil reformidat, petit, accipit Christum, lavat, ungit, involvit, tumulo infert, & hoc nos imitemur in membris famelicis: caritas enim omnia suffert, secundum I. Cor. XIII. 4. s. 6. 7. 8. Funus dominicum quotidie pia memoria celeberrimus, peregrinatione spiritus & fidei, simus tanquam columba, sec. Cant. II. 14. in foraminibus his petreæ & latibulo præcipitii. Eamus christiani! funus hoc comitemur, nunquam enim majoris herois funus aut vidimus, aut videbimus. Sepeliamus nostros fidei domesticos, & eorum funera frequentissimi comitemur. Non enim secundum Augustinum de C. D. lib. s. c. XIII. D. p. 56. abjicienda & contemnenda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasibus ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus, nam tale pietatis officium Deo placet, & ad ejus providentiam corpora quoque mortuorum pertinent. Pretium corporum demortuorum eleganti penicillo depingit *Williamus Cave in primitivo christianismo parte III c. II. p. m. 651.* cum ait: Des Menschen Leib ist ein Cabinet und Zimmer eines unschätzbahren Kleinodts / ein künstliches Meisterstück / herrlich und wunderbahrtlich gemacht / ein herrliches Werkzeug von göttlicher Allwissenheit / und in Erwegung dessen verdienet er nicht / daß man ihn so dahin wirfft / und unbedachtsam im Roht hinein stößt. Imitemur Josephi & Nicodemi fidem, imitemur & Josephum, discipulos Christi faciamus, divitiis recte utamur, ad honorem Dei & in emolumentum membrorum Christi famelicorum. Imitemur bonitatem secundum tabulam Decalogi primam



nam, & iustitiam secundum tabulam secundam, mortem & monumentum nostrum quotidie meditemur, præsertim monente Paulo I. Cor. XV. 31. *quovis die morior*, quid quod Epiphano gentili in enchiridio: *K. κτ: μέγιστη τῶντων πρὸς ἰσχυρῶν σοὶ ἔσω καὶ δὲ ἡμῶν ὁ θάνατος*. Amplectamur nos Christum sindone fidei, & condiamus myrrha h. e. serâ pœnitentiâ, quæ leniter amara & suavisimi coram Domino & angelis est odoris, secundum Lucæ XV. 7. 10. nec non aloë h. e. tolerantia calamitatum putredinem vitiorum reprimamus. Reponamus Servatorem in monumento cordis prorsus innovati, & per firmitatem boni propositi e petra excisi: advolvamus saxum sive petram constantiæ, ne præter amorem illius, mundi & cupiditatum penetret amor; si cordi nostro, quod per fidem monumentum Servatoris factum est, poterit Epitaphium Ec. XI. 10. inscribi:

**TVMBA SERVATORIS FACTA EST GLORIOSA.**

Peregrinemur quotidie ad hoc monumentum, & purgemus illud omnibus ossibus mortuorum, & omni peccati immunditie, sic quotidie cum Christo sepulti Rom. VI. 4. ad æternam vitam refergemus.

§. III.

**PARACLETICVM.**

(1) *Contra peccata*: etiam si numero innumera nos premant peccata, semustamen, quod Christus dederit improbitates illas in sepulchro, uti apud Pf. in dubio vexatis p. 724. Brentius, Gerhardus in Harmonia, Waltherus, Wellerus, Cramerus, Calovius & reliqui piæ memoriæ theologî dictum Ec. LIII. 9. interpretantur. Pie canit ecclesia de hoc: *Was ich gesündiget habe / hastu verscharrt im Grabe / da hastu es wollen büßen / da wirstu auch bleiben müssen*: (2) *Contra diabolum & infernum*: his enim a Christo devictis insulare possumus ex I. Cor. XV. 55. 57. *ubi tuus mors stimulus? ubi tuus inferne virtutaria? etiam tuos letabundi addentes: soli Deo gloria*, qui concessit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, mortuum, sepultum, & ex mortuis resuscitatum. (3) *Contra mortem*: Mors secundum Aristotelem τῶν φθιστῶν φοβηστῶν; at hæc christiano non potest esse terribilis, cum Christus ipse mortuus sit, ut mortem nobis amonam redderet. Mors hæc Christi vita est piorum, uti pie pius Gerhardus in meditationibus s. p. 79. Monumenta ne timeamus, Christ...

enim monumento suo monumenta nostra sanctificavit. Nec sunt propterea terribilia, uti carni videntur; fortiuntur enim apud Hebræos & Græcos, nomina domuum pacis, Jcf. XXXII. 18. cubiculorum, Jcf. XXVI. 20. dormitoriorum, conditoriorum, Græce κοιτωνριων, Teutonice Schlaffstellen. Eum in finem mors ipsa ἀναστρας & ἀποδυστα nomina suavissima fortiuntur Phil. I. 23. Luc. II. 29. II. Tim. IV. 6. & cœmeteria vocantur Germanice Gottes-Acker / quia, quod injicitur semen in vere & mellè resurrectionis, tempore ἀνοκτασ δατωσ ἀδων Act. III. 21. virebit fructumque dabit in æternum. Solatio sit omnibus, quoque mortis genere defunctis, ἀραγοσ sive insepulti si jacent, monumentum Christi. Er enim cum christianis primitivis ab adversariis objiceretur, christianos ἀραγοσ πτωρεδαι Augustinus in *lib. de Civ. Dei c. XI. p. 53.* objectionibus obviam it, & egregie pius pater ibi inquit: *pia fides non reformidat, quod in strage cadaverum christiani non potuerint sepeliri, cum capitulos illorum Deus in numero habeat, secundum Matth. X. 30. & capillus ex illorum capitibus non debeat perire secundum Luc. XXI. 19. multa corpora christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a celo separavit & terra, quam totam implet presentia sui, qui novit, unde resuscitet, quid erant.* Cum Seneca objiceretur: *lib. de remediis fortuitorum p. m. 403. insepultis jacebis, respondebat, facilis jactura sepulcri se nihil sentio, non pertinet ad me jactura corporis insepulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est, celo regitur, qui non habet unquam Item: non defunctorum causa, sed vivorum, inventa est sepultura, ut corpora & visu & odore facta amoverentur. Quidni nosmet, qui sumus christiani, firmiori nitimur solatio, cum simus certi de resurrectione, & quod omnium membrorum reformatio non solum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadavera recesserunt, in temporis puncto reddenda & redintegrandam in S. nobis Scriptura promittatur. Quod ὀψισμα paracliticum ipsum vas electionis Paulus deducit I. Cor. XV. 42. ex sepultura & resurrectione Christi, cum ait: quod seminatur in corruptione, ignominia, infirmitate, excitatur in gloria, in incorruptione, in potentia, & v. 53. corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* Quapropter tibi, benevole Lector, in monumento reponendo, tanquam candidato vitæ æternæ (id quod moris apud Romanos fuisse Kirchmannus *lib. III. c. IX. p. 245. & 255. traçit*) apprecor:

*Tenuem & sine pondere terram  
Et in urna perpetuum ver.*

Christo vero passo, mor.uo & in tumbam suam illato, tertia vero die resuscitato, pro præstita nobis gratia, qua stipati colophonem disputationi lætus impono, sint gratiæ in secula seculorum, Amen!

753962

ULB Halle 3  
001 854 02X




sb.

2

10/12







19

20

בש הקנה

# T V M B A M SERVATORIS

PRÆSIDE

IO. ANDREA SCHMIDIO

ABBATE MARIÆVALLENSI

S. S. Theol. D. ejusdemque & Antiqq. Sacr. P. P. O.

Ordinis sui Seniore

Domino Præceptore & Hospite

ad urnam devenerando

*eruditorum oculis*

ipso quietis die VII. April. MDCCIII.

exponet

THEOD. BOLMANN Hojenfis

A. & R.



HELMSTADII

TYPIS GEORG WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.